RAVE033748

DIOECESANA SYNODUS

AB ILLMO ET REVERENDISS. DOMINO

FLORIDO PIERLEONI

EPISCOPO CIVITATIS AQUIPENDII

CELEBRATA

IN ECCLESIA CATHEDRALI

DIE 3. MAJI ANNO MDCCCXVIII.



ROMAE 1818.

APUD CAROLUM MORDACCHINI

SUPERIORUM PERMISSU.

CENTRO DI RICERCHE PER LA STORIA DELL'ALTO LAZIO
7988

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO VII.

PONTIFICI MAXIMO

PERENNEM FELICITATEM

Diu mihi dubitandum profecto non fuit, Optime, ac Sanctissime Pater, cuinam meas hasce Synodales Constitutiones potissimum consecrarem; cui enim judicio, potiusquam tuo sapientissimo, tuaeque censurae, omni, qua debeo, fide, reverentiaque subjiciendas putarem, cujus ab auctoritate acce-

pi, ut eas condere possem ? Ut enim illud omittam, cuique de sua in commissum sibi gregem vigilantia rationem reddendam esse apud supremum Episcoporum omnium Antistitem, Supremumque de Synodicis Statutis in terris Christi Vicarium, ac Judicem, Sacrorumque Canonum Custodem, ac Moderatorem, hoc unum dicam, id a me grati animi obsequium inprimis postulasse ; Nam memini, nec unquam, dum vita suppetat, oblivisci potero, sed quoad potero, prae me feram, ac praedicabo, me nullis suffultum meritis, sed sola tua benignitate, ac singulari clementia, e Sacro Presbyterorum convictu ad animarum salutem sane laudabiliter instituto, evocatum ad hanc Aquipendiensem Ecclesiam regendam, gubernandamque, Episcopali dignitate insignitum, quamvis prorsus indignum, tantoque oneri Angelicis etiam humeris formidando imparem prae caeteris, qui multo laudabilius, sanctiusque, ac majore concrediti gregis utilitate sustinuissent, electum, ac destinatum fuisse. Non ego hic caetera, quae in me contulisti, commemorabo ; Non dicam Te meis precibus, ac postulationibus Veronicam Virginem Tiphernatem Beatorum coetibus benignissime annuentem adnumerasse ; At silentio praeterire quin possim summum illum, ac vere singularem honorem, quo me decorare dignatus es, quum Sanctae Romanae Ecclesiae, Purpuratorum comitante Senatu, paterno vero amore impulsus, in Galliam, nullis itinerum incommodis, difficultatibusque deterritus, invicto animo proficiscebaris, quum, nedum Civitatem hanc, sed et Episcopalem Aulam praesentia tua honorare voluisti, quum hujus meae Cathedralis Capitulum humanitate, ac benevolentia singulari complexus, maximum illi, ac peculiare honoris insigne liberaliter impertitus es? Nihil hic de praeclaris animi tui virtutibus dicam, Beatissime Pater ; Nihil de Sapientia, qua Christianum Orbem providentissime gubernas, de Christianae Religionis custodia, de veteris disciplinae, sacri juris, omnisque Ecclesiasticae doctrinae patrocinio, invictaque constantia in Supremi Pastoris partibus, Ecclesiasticisque juribus sustinendis, mirificaque in tot adversis patientissime perferendis tollerantia, de generoso illo tuo fluxarum opum contemptu, qui eas tantummodo opes agnoscis, quibus Jesu Christi Supremi omnium Pastoris instar dives in omnes habearis ; Quid nunc amplissimas dignitates memorem, per quas Coelestis illa Sapientia Te huic omnium maximae voluit proludere? Illa Te ad Tiburtinam regendam Ecclesiam destinavit, illa Te Purpuratorum Patrum Senatui honorifice adjunxit, et ad Fori Cornelii Cathedram merito occupandam, gubernandamque assumpsit, ac destinavit, ubi tuis erant illae deliciae virtutibus, quas non ab honoribus metiebaris, quibus quam sine ulla intermissione, corporisque fatigatione, quam solerter, quam sapienter denique perfunctus fueris, aliis commemorandum relinquam. Nemo itaque, ut puto, mirabitur, si Te tot, tantisque ornatum meritis, ac

virtutibus, quae in Supremo omnium Pastore requiruntur, non modo non ambientem, sed ne cogitantem quidem, sed invitum, ac reluctantem ad praecelsam hanc dignitatem, ac secundum Deum in Terris maximam, communibus omnium votis, suffragiisque prae caeteris elatum, velut Omnipotentis Dei nutu, qui omnium animis jampridem intonuerat = Suscitabo mihi Sacerdotem Fidelem, qui juxta cor meum, et animam meam faciet = Quod simulac palam intonuit, quid mirum, si universa Venetum Civitas insolitis undique plausibus resonare audita est, si Romam nuncio hoc perlato, omnes omnium ordinum coetus prae laetitia gestire per vias, ac plateas, sibique præter modum gratulari Civitas universa visa est, totusque Christianus Orbis laetari, factum celebrare, sibique prospera omnia polliceri non dubitavit; Nec frustra; Te enim vidimus, et zelo, et charitate mira succensum pro Ecclesiae libertate tuenda, molestias, offensiones neutiquam refugisse, Te Jesu Christi exemplo, ac boni Pastoris instar paratum, si res postularet, pro ovibus animam ponere; Te in lapsis ad bonam frugem revocandis, fluctuantibus confirmandis, in angustiis, in laboribus, in adversitatibus constantem, omnibus invigilantem, ac prae oculis assidue illud habentem = Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam = Quare jure, ac merito omnium tibi admirationem, amoremque a fidelibus non solum quotquot ubique Terrarum sunt, sed et ab infidelibus ipsis, venerationem quamdam, et obsequium conciliasti. Non abutar diutius patientia tua, ut ea referam, quae in ore sunt omnium; Quare ne pluribus immorer, ad Te Christi Vicarium in terris Apostolorum Principis Successorem, Christianorum omnium Patrem, et Doctorem, in Catholica, et Apostolica Ecclesia Romana Caput visibile supplex confugio, Tibique tenue admodum hoc munus humiliter offerre, Librum scilicet Ecclesiasticarum constitutionum, quae in mea Dioecesana Synodo unanimiter sancitae sunt, singulari erga me benignitate tua fretus dicare non erubesco; Quaecumque in eo continentur, non eloquenti, elegantique stylo exposita sane reperies, non elaboratas ex arte periodos, vocesque auribus prurientium, aut persuasibilibus humanae sapientiae verbis conscriptum leges, quod pastorale munus omnino dedecet; Verum ea tantummodo occurrent, quae ad animarum praecipue curae, vigilantiaeque meae commissarum salutem, atque utilitatem, divino irradiante lumine, conducere visa sunt. Pleraque, si non omnia ab Apostolicis traditionibus, a Sacrarum Congregationum decretis, a SS. Patribus, aut a Summis Pontificibus Praedecessoribus tuis excerpta, et in unum collecta, Clero, Populoque huic meo, in memoriam revocare, quoad potui, omni conatu studui. Haec omnia Beatissime Pater, si Tibi, a quo mea omnis auctoritas derivatur; Quemque ego non solum suprema dignitate, ac potestate, qua polles, sed doctrina etiam, et prudentia singulari praeditum suspi-

cio, et veneror, probabuntur, judicio, et auctoritate tua firmanda censui. Interim, quod unum superest, Deum Optimum Maximum enixe deprecor, ut fausta omnia Sanctitati tuae benigne impertiatur, tranquillum aevum, pacem veram, Religionis triumphum, nullisque turbatam curis, ac sollicitudinibus felicitatem, dum sacris pedibus humiliter advolutus, eosque reverenter deosculatus, Paternam tuam Benedictionem mihi, gregique huic meo suppliciter imploro.

INDICTIO SYNODI

FLORIDUS PIERLEONI

PATRITIUS TIPHERNATENSIS

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS AQUIPENDIENSIS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPAE VII.

PRAELATUS DOMESTICUS, SOLIOQUE PONTIFICO ASSISTENS

DILECTISSIMO IN CHRISTO CLERO, AC OMNIBUS CIVITATIS,

ET DIOECESIS SUAE

SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Multas, et maximas jam inde ab Episcopatus nostri exordio comprehendimus (a) boni Pastoris partes, ut ipse sane vultum gregis sui cognoscat, eumque perlustret, nedum vaga dumtaxat, tanquam generali cura seipsum dirigat; Hoc quoque Salvatoris nostri Pastoris (b) aeterni adjungunt oracula, ut proprias oves vocet nominatim, ad hoc ut cunctarum indolem exploret, dum Jesu Christi nostrarum animarum Pastoris instar singulas oves agnoscit, ac converso ab eis agnoscitur. Id nos, Deo auxiliante, usquemodo fecisse confidimus, cum praesertim, quatuor jam peractis visitationibus spatio annorum quindecim nostri regiminis, quibus Sedis nostrae Civitatem Aquipendii, nec non cunctam Dioecesim lustrantes, et Patris, et Pastoris officium utcumque implere studuimus. Verumtamen illud in primis nobis cordi fuit singulos è clero nedum de nomine, sed etiam de facie agnoscere; Probe nobis conscii, Ecclesiasticorum vitam oculis Populorum expositam esse, qui ab eis tanquam à fonte, bene, vel male vivendi exempla duci solent, ut in primo (c) Mediolanensi Concilio ad Clerum Divus Carolus effatus est. Nil hic dubium est, quod Episcopus noscit omnes

(a) *Prov*: 28 *Vers*: 23.
(b) *Joan*: 10 *V*. 13. *et* 14.
(c) *S. Carol. in Orat. ad Conc Mediol.*

praecipue Ecclesiastici ordinis suae Dioecesis, peculiari quodammodo tamen in Synodali conventu Episcopus, et Clerus sese mutuo agnoscunt; Qua de re vel solus hic aspectus magnam excitat charitatem, animosque conciliat, ad quod faciendum, quantum sacrae tabulae Joelis voce (a) olim praecipiebant = Vocate coetum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes = tantum, et nunc opportunius voce clamat Sancta Orthodoxorum omnium Mater Ecclesia, quoniam inde plana sternitur via ad restaurandam, propagandamque Ecclesiasticam disciplinam, dum omnes, qui convenerunt in unum, concurrunt in vinculo pacis, ut sint unum (b) corpus, et unus spiritus.

Huic autem potissimum spectare debitam Synodorum (c) celebrationem facile quisque sibi persuadebit; qui certe antiquos (d) Catholicae Ecclesiae Canones, et postremo Concilium Tridentinum non ignorat, illos convocari pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, et controversiis; Quin immo ex Synodorum infrequentia, ut nobis, vobisque patet, dilabi posse sanctarum legum observantiam, vel ex eo maxime conjici potest, quod olim censuerint Orthodoxae unitatis Patres, non semel intra annum Episcopales Synodos celebrandas esse (e) = et Lateranense Concilium sub Innocentio III. atque Concilium Tridentinum (f) = semel saltem quotannis omnino congregandas etiam sub poenis antiquorum Canonum, stricte praecipiant; Et si vero novissimis hisce temporibus Sanctae Romanae Ecclesiae tollerantia videatur Episcoporum incuriae hac in parte indulgere, haud per hoc tamen nostrae conscientiae satis consultum arbitramur; Verum enim est, nos transacto tempore Praedecessorum nostrorum leges, et statuta sequi cupientes vix pauca in duplici Synodo tam decreta, quam ipsas leges fere oblivione deletas reperivimus. Nihilominus pro nostro munere plura emanavimus edicta, et decreta, quibus integram tueremur adversus grassantia crimina, et scandala, quae nosmetipsos ad lacrimandum inducunt, veterem disciplinam requirendam. Sed experientia compertum est, quantum depravatorum hominum corruptio, quantum humana malitia conetur eludere haec edicta, et decreta, nisi firmius, et perpetuum robur lex adjiciat; Quia etiam ipsae leges, ut plurimum, de suo robore decidunt, nisi identidem per iteratam institutionem promulgentur, et reviviscant.

Haec itaque nos impulerunt, ut inhaerentes statutis sacrorum Ecclesiae Canonum, et aliquorum Praesulum Praedecessorum nostrorum,

(a) *Joelis Cap.* 2.
(b) *Ap. ad Aephes.* 4 *V.* 4.
(c) *Conc. Trid. Sess.* 24 *de Reform.*
(d) *Conc. Lateran. Cap. sicut olim de accusationibus.*
(e) *Concilium Lateran. sub Innocentio III. ut supra.*
(f) *Concilium Tridentinum. Sess.* 24

qui Synodum celebrarunt, vestigia sectantes indicamus, prout indicimus Dioecesanam Synodum celebrandam, inchoandamque die 3. Mensis Maji currentis anni, quae erit dies Inventionis Sanctae Crucis. Interim vero Vos, Venerabiles Fratres Nostri, tam Ecclesiae Cathedralis Dignitates, et Canonici, quam Collegiatae Ecclesiae Canini, nec non caeteri Ecclesiastici nostrae Dioecesis Ordines, qui in Dei sortem vocati estis, et in haereditatem ejus adscripti, animum, cordaque vestra sursum erigite, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum est descendens à Patre Lumirum, atque divinum illum Paraclitum consolationis fontem, et gaudii, humiliter exorate, ut veniat in nos Spiritus sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiae, et pietatis, quo timidae cogitationes, et incertae providentiae nostrae roborentur, ut ea investigemus, ac dignoscamus, quibus per omnia divinae complacentes bonitati, eidem in omnibus conformemur. Illuc vota nostra, illuc preces tendant, Dilectissimi in Christo Fratres, et Filii, ut det quoque nobis Dominus adjutricem suarum Sedium Sapientiam, quae in ministerio tam praecipuo nobiscum sit, et nobiscum laboret.

Praesenti igitur nostro edicto, et in virtute S. obedientiae monitos esse volumus, et jubemus, omnes, et singulas Dignitates, Canonicos tam nostrae praedictae Ecclesiae Cathedralis, quam Collegiatae Ecclesiae Canini, itidem Archipraesbyteros, Priores, Plebanos, Rectores, Vicarios, Curatos, caeterosque hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis, qui de jure, vel consuetudine, et praesertim ex sacro Concilio Tridentino, et felic. Record. Greg. XV. de exemptorum privilegiis, Synodalibus constitutionibus adesse tenentur, quod, stato die, summo mane in nostram S. Sepulchri Cathedralem Ecclesiam cum habitu proprio, et decenti, sub poenis à jure statutis conveniant, quacumque remota excusatione, nisi ex justa a nobis probanda causa, et personaliter ibi sistant, nec inde, nisi legittima obtenta licentia, sub iisdem poenis discedere praesumant.

Volumus tandem, ut haec Synodi indictio valvis praedictae Ecclesiae Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum per Dioecesim affixa perinde omnes, et singulos interesse debentes afficiat, ac si fuisset unicuique personaliter intimata. Datum Aquipendii, ex nostris Aedibus Episcopalibus Die 3 Mensis Aprilis 1818.

FLORIDUS EPISCOPUS AQUIPENDII.

Joseph Chierici Cancellarius Episcopalis.

ORATIO

AB ILLMO, AC RDMO EPISCOPO HABITA

AD UNIVERSUM CLERUM IN SYNODO CONGREGATUM

Gratias Deo Optimo Maximo agere debemus, qui nobis illud, quod jam ab eo tempore, quo ad hanc Sanctam Aquipendiensem posuit regendam, gubernandamque Ecclesiam usquemodo precati sumus, Ven: Fratres, Dilectissimi Filii, nunc quidem, divina ejusdem auxiliante gratia, tandem donavit. Auspicatissimus propterea, quem anxio satis animo optabamus, dies illuxit, quo hujus nostrae Dioecesis majorem, potioremque selecti nostri gregis partem coram nobis intuemur, dum nos in medio vestrum sedimus; Hic in tam sacro consessu una simul effulget Ecclesiastica Hierarchia; At quid est quod ad tam excelsum, ad tam solemne nos impulit opus? Est id unum, quod vobis dicimus, munus etiam Angelorum humeris formidandum: Officium, nempe, Episcopale, sive ad Dei cultum, sive ad regimen animarum, sive ad Ecclesiasticae vitae disciplinam constituendam: Licet enim multa huc speciatim a duobus Praedecessoribus nostris in hac Aquipendiensi Ecclesia fuerint statuta, licet Sapientissimi Ecclesiae Catholicae Canonum Conditores unicuique Ecclesiasticorum, universoque gregi fidelium verba perenniter fecerint; Attamen quid? An singuli hoc in genere omnia sunt secuti? Vos ipsi dicite, Venerabiles Sacerdotes, dilectissimi filii, vos judicate; Vos, qui obvium, et prae manibus habetis Concilium Romanum; Ex istorum praeceptis cernite oculis vestris, et auribus audite, quam grave nobis onus imponitur reddendi rationem Sedi Apostolicae de vigilantia pastorali, de Synodi Convocatione, dum quolibet triennio, sacra Urbis Limina invisentes statum referimus hujus nostrae Ecclesiae, et Dioecesis: Quantopere vobis etiam ex utroque Concilio Legum statutarum observantia injungitur, atque stricte praecipitur. Verum est, quod nonnulli ad Dioecesanam Synodum convocati, pro legibus, et statutis rursus revocandis facile dispicient, praesertim, si ad ea, quae subjungemus, animum sedulo convertant; Nosque judicent nunc in vanum repetere, quae olim exarata fuerunt; Sed ab illis quaerimus, an non Dominus Deus jam inde ab exordio rerum legem naturae nostris insculpserat cordibus? Quam igitur ob causam toties eamdem indixit, toties repetiit, toties promulgavit? Quare, dum eam in tabulis lapideis impressit, eam per Moysem auribus populi sui non semel ingessit, eamque per tot Sanctos Viros, ac Prophetas iterum, atque iterum denuntiavit, ac tandem ipsius Christi, ejusque discipulorum doctrina accuratius exposuit? Non alia de causa, ex communi Sanctorum Patrum sententia, nisi ad

docendum, quod ne periclitaretur legum veneratio, necesse esse, ut per iteratam veluti institutionem ab interitu iterum revocentur. Et reapse vident omnes, non deesse fures, qui hanc vineam nostram electam, nobisque dilectam devastare minime perhorrescunt; Vident omnes in dies deflorescere Ecclesiae disciplinam, ac Ecclesiasticorum vitam. Reparatione igitur indigent quam maxima, ut utramque in pristinam dignitatem restitutam videre possimus; Quod si praeteritis temporibus numquam tanta, ac tam impudens in talibus fuit dissipatio; Nunc quidem flentes dicimus, reperitur, utinam non adesset! inter non paucos ministros Christi, et inter dispensatores Mysteriorum Dei. Nunc in multis aperte videtur contemptus Ecclesiasticae legis, ac Dei Omnipotentis: propter quod divinis flagellis atterimur, et cibamur; idcirco pane lacrymarum, et potum cum fletu miscemus, aliaeque, et fortasse graviores calamitates nobis impendunt, nisi Deus eas avertat: Non aliunde repetamus, Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi, non aliunde, quam ex effraeni, atque praeter legem vivendi licentia. Sunt enim haec Apostoli verba huic Saeculo conformata = Instabunt tempora periculosa, erunt homines se ipsos amantes, Cupidi, Elati, Superbi, Blasphemi; Non obedientes, Immites, Protervi, atque (ut omnia uno complectamur verbo) voluptatum amatores magis, quam Dei = Ipsis igitur maxime leges fastidio erunt, ac molestia, pro ipsis nos, qui non assumpsimus nobis Episcopatus honorem, sed a Deo vocati fuimus tanquam Aaron, rogamus Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi, quos oportet redargui. Videant etiam, qui sint inter eos, qui nostrae sollicitudini sunt commissi inobedientes, vaniloqui, et seductores, docentes, quae non oportet; Quid de ipsis dicere poterimus? Silentium potius loquatur, et respondeat conscientiae illorum. At Deus Omnipotens, dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum super eos. Sed qui Pastoribus exemplum dedit, suoque exemplo docuit, nobis imperat, loquere, exortare, et argue; Vos ergo Venerabiles Fratres, dilectissimi Filii, Vos genus electum, regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis, obedite Praepositis vestris, et subjacete eis; Nos sumus ex illis, qui pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, agnoscite dignitatem vestram, et nolite in veterem vilitatem degenere conversatione redire, Charitatem diligite, et Fraternitatem amate, sicut Deus amat nos, non invicem provocantes, non invicem invidentes, a vobis exulet ira, et contentio; Fratres enim estis: Oh quam bonum, et jucundum habitare fratres in unum! Mementote insuper vos esse Sal terrae, et Lucem Mundi, quomodo salietur, si sal infatuatum fuerit? Quomodo videbit lumen Mundus, si Lux, quae esse debet in eminentiori loco, et resplendens, caliginosa foret, atque abscondita sub modio? Non sit itaque mirum, quod re-

nebrae mundum ipsum comprehendant, quod omnium similia sint opera, nec tam facile ab amatoribus hujus mundi distinguantur, unde merito de aliquibus dici fas est = Sicut Populus, sic Sacerdos = Non miremmini propterea, si proinde vituperetur ministerium nostrum; Quod ne unquam imposterum accidere possit, duas praecipue virtutes vobis commendamus, Sapientiam videlicet, et vitae Probitatem, tamquam praestantissima vestrae dignitatis decora, ut ambuletis digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bona fructificantes, et crescentes in scientia Dei, reportantes finem fidei vestrae, et meritum obedientiae nobis debitae, in memoriam semper revocantes, immunes non esse a culpa, qui Pastoris vocem non audiunt; Vos enim scitis, nos Legatione fungi pro Christo, atque ideo, qui nobis resistit = Deo resistit = Haec igitur nostra Synodus cupit, nec vereor, vos omnes, qui huc in Domino advenistis, velle, ut Ecclesiasticorum singuli obedientiam, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, caeteraque clericalis pietatis officia colentes, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta, semper agant, semper recogitent, ac Sanctorum vestigia Patrum ne modo respiciant, sed omnino immitari contendant; In tremendo Missae Sacrificio peragendo altissima meditatione defixi, quae in illo pie, riteque celebrando praescripta sunt, obsecramus vos per mansuetudinem, et modestiam Christi, haec agite, dum verba Dei annuntiantur, ad ea intendat unusquisque vestrum, nec auditum avertat, vel per confabulationem, vel per privatam divini officii recitationem, nam praeter irreverentiam, tunc etiam adstantis scandalum occurreret. Et si tempus a persolutis ecclesiasticis functionibus, et a privatis horis Canonicis supererit, non in otio, non in dissidiis, non in contentione terat, sed cum sit in sortem Domini vocatus, in lege ejus meditetur die, ac nocte. Qui autem sacrarum litterarum studia amplectuntur, ad Sacrae Scripturae Lectiones, ad moralium rerum conferentias alacri animo conveniant, iisque ita studeant adesse, ut ad ulteriorem sacri eloquii fructum in dies proficientes se ipsos praebeant exemplum bonorum operum in doctrina, et sanctitate, ne qui foris sunt, habeant aliquid dicere de illis; Haec, non ut confundam vos, dico, sed ut filios meos charissimos moneo in Christo Jesu Domino nostro; Et sic videant omnes opera vestra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in Coelis est.

Tu autem Domine Sabaoth, qui probas renes, et corda, visita nos haec comitia ineuntes in salutari tuo, ut cum nomen sanctum tuum invocatum sit super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster: Tuque Divina Patrona Immaculata Parens, fidumque Salutis nostrae refugium, ac praesidium; Vosque Hermes Christi Martyr, Bernarde, ac Sabine Antistites, Quos Majores nostri hujus Basilicae, Civitatis, et Dioecesis Patronos adoptaverunt; Vos denique Coelites omnes una cum

mea Beata Veronica de Julianis, pro cujus honore ad majoren Dei gloriam laboravimus, quorum in fide, et clientela nos esse gloriamur, Spiritum Sanctum nobis hic, et ubique precibus vestris propitium reddite, ut ipse afflatu suo aspirando praeveniat, et adiuvando prosequatur, quae recta sunt, et eadem in hac Synodo faciamus. Interim nos a summo munerum Largitore perennem, et cumulatissimam ex animo precamur super vos Coelestem Benedictionem.

SYNODALIUM CONSTITUTIONUM

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM

DE FIDE, DE JUDAEIS, HAERETICIS, BLASPHEMIS, AC MALEDICIS.

I. Sine fide impossibile est placere Deo, inquit Apostolus (1), quoniam justus ex fide vivit (2), merito ergo janua Christianae Religionis nominatur, et fundamentum; omni opera propterea, atque studio elaborandum est, ut non solum a cunctis habeatur, sed integra, et illibata perpetuo servetur; Unde in his nostris Synodalibus constitutionibus ab illa exordium sumimus, in cujus unitatem excitati Pauli monito omnes occurrimus (3).

II. Hujusce fidei autem integrae servandae prima, et maxima cura nobis esse debet, et cum non dumtaxat verbo, verum etiam caeteris praelucere exemplo debeamus, ideo hujusmodi fidei Catholicae professionem omnium primi sincero animo emittimus ad praescriptam formam Pii IV Et quod à nobis praestitum est, omnes, et singulos huic Synodo interessentes praestare volumus. Id non submissa voce, sed clara, et intelligibili fiat, ut singula verba ab omnibus clare intelligantur. Completa fidei professione bini, vel terni cuncti obedientiam, et juramentum peracturi, flexis genibus, ante nos conveniant (4).

III. Debitum, et onus praesertim emittendi eamdem fidei professionem ex Tridentini praescripto (5) iis inest, qui obtinuerint Beneficia cum animarum cura, vel simplicia, itemque illis, qui sunt provisi de Dignitatibus, vel Canonicatibus intra duos menses a die, qua adepti sunt Praebendae possessum coram nobis, aut Vicario nostro Generali, eamdemque professionem rursus edere tenentur Dignitates, et Canonici coram Capitulo, nec non consuetum facere juramentum sub poena amissionis fructuum ipso jure incurrenda, alias meminerint eis captam possessionem minime suffragari.

IV. Tandem fidei professionem emittant novi Concionatores etiam Regulares, Vicarii, Confessarii, Procuratores, Promotores Fiscales,

(1) *Hebreorum XI V.* 6.
(2) *Ibidem Cap. X. V.* 38.
(3) *Ap. ad Aephes* 4. *V.* 13.
(4) *Bened. XIV. de Synod. Dioecesana.*
(5) *Conc. Trident. Sess.* 24. *de Ref. C.* 14.

Cancellarii, caeterique Episcopalis Curiae Officiales, nec non Theologiam, Jus Canonicum, vel Civile, Medicinam, Philosophiam, Mathematicam, Grammaticam, vel alias scientias, seu artes liberales pubblice, vel private docentes; Similiter Chirurgiam exercentes (1); unusquisque autem ex recensitis professionem fidei perscipsum emittere tenetur, nullusque eorum Procurator etiam speciali mandato constitutus pro eis admittatur (2) sub poena nullitatis. Duo saltem, dum fit fidei professio, adhibeantur Testes, quorum nomina cum caeteris actibus emissae professionis in Codice ad hoc confecto in generali Episcopali Cancelleria existente describantur.

V. Et quoniam fides nostra, quam corde, et ore profitemur sine operibus mortua est (3), ideo cunctos, qui hac Christiana professione tenentur, obsecramus in Domino Jesu Christo, ut illa respuant, quae huic inimica sunt Nomini, et ea, quae sunt apta, sectentur; Quid enim proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum? absit, quia haec fides mortua est in semetipsa (4).

VI. Ut vero fides, quam ore profiteri debemus, in cordis nostri penetralibus illibata servetur, et apud nos tanquam stabilis, atque inconcessa virtus; contra omnes incursus, atque impetus oblactantium fluctuum, velut petrae objacientis fortitudine semper, atque semper obsistat (5); omnibus, quibus animarum cura speciatim incumbit, ferventer injungimus, et enixe commendamus, ut oves ipsis concreditae à consortio eorum, qui foris sunt, quique Dominum Jesum odio habent, omnimode segregent. Ita quoque perversa dogmata disseminantes, Jurisdictionem, aut Censuras ecclesiasticas contemnentes, Ritus Sacros, Indulgentias, Sacramenta, eorum usum irridentes, Libros quavis ratione damnatos, aut proscriptos apud se sine debita licentia habentes, retinentes, legentes, vel sibi, aliis legendos curantes, aliique ad legendum concedentes, quamprimum nobis denuncient, et qui haec neglexerint, praeter divinae ultionis acrimoniam, aliis poenis gravibus arbitrio nostro punientur.

VII. Judaeis, qui tam per hanc Aquipendii Civitatem, quam per nostrae Dioecesis loca transire, aut ibi morari contigerit, nemini liceat operam dare, aut eis inservire, neque cum illis cibum sumere, aut azimos comedere, neque cum Christi fidelibus in lo-

(1) *Conc. Rom.* 1725. *sub Bened. XIII.*
(2) *Conc. Later.* 4. *Cap* 22.
(3) *Jacob. Ap. C.* 2. *V.* 10.
(4) *Ibidem Vers:* 14 *et* 17.
(5) *S. Cipr: Laud.* 1. *Aepist.* 1. *ad Cornel.*

cis publicis ludere, neque eos Domi detinere, nec à loco, in quo habitant, noctis tempore eos exire volumus (1) diebus festis nullum opus servile, sive per se, sive per alios publice faciant. Sanctimonialium monasteria non adeant; ante Ecclesias pro suarum mercium venditione, alta voce exclamare abstineant, Cruces, Immagines, Vestes, Vasa, aliamque Sacram Supellectilem non emant; Neque ullus fidelis illis vendere, vel in pignus dare praesumat sub poena Carceris, et scutorum decem Locis piis erogandorum, aliisque arbitrio, tum à Judaeis, quum a Christifidelibus in qualibet supradictorum contraventione incurrendis; Ne verbum quidem ignominiosum contra Christianorum Religionem, Redemptorem, Beatam Virginem, ac Sanctos proferant Judaei sub poenis contentis in Constitutione Gregorii XII. Nullus Laicus, neque Clericus indoctus publice, vel privatim disputet de fide Catholica cum illis sub poenis scutorum quinque, aliisque in Sacris Canonibus contentis (2). Meretrices autem, quae cum ammissa verecundia lumen quoque Sacrae Religionis deperdunt, si cum Judaeis ipsis quovis praetextu, aut ratione commercium habuerint, fustibus publice cedentur absque spe condonationis poenae.

VIII. Fidei Catholicae professio id insuper postulat, ut unusquisque zeli aculeos distringat adversus haeresim, superstitionem, aliaque id generis publica crimina, et pravam de fide suspicionem ingerentia; Nos igitur pro Pastoralis officii munere adesse volumus, atque verae fidei, et Ortodoxae doctrinae depositum nobis concreditum custodiendum servare praecipue miseris hisce temporibus, quibus incredulitatis lues, voce, et insanorum magistrorum scriptis misertime grassatur, jubemus, hortamur, et obsecramus per Spiritum Sanctum Veritatis, et Lucis fontem, omnes Christifideles hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis, ut videant, ne erroris tenebrae eos comprehendant; Et si quem cujuscumque sexus, et conditionis aliquis noverit haeretica, aut simili contra fidem ortodoxam labe infectum, aufugiat, tanquam à facie colubri, et ne moretur intra triginta dies ad nos deferre. Idque extendimus ad alia crimina, quae in edicto S. Officii enunciantur. Sane hoc edictum Parrochi inter Missarum solemnia Populo perlegant, accurateque declarent, & quidem bis quotannis, nimirum Dominica prima Adventus, et Dominica quarta Quadragesimae, nec desinant in iisdem Dominicis promulgare populo summarium Bullae in Coena Domini.

(1) *S. Inquisit. Edict.* 5. *Apr.* 1775. (2) *Cap. Quicumque Exhibemus in* 6.

IX. Infidelitati proximum est Blasphemiae scelus, idque execrabile crimen esse nemo ignorat, eoque facilius comprobatur, cum divinae, et saeculares Leges usque ad ultimum supplicium poenas olim inflixerunt in blasphemos (1), nec aliter earumdem legum rigorem temperarunt Ecclesiasticae constitutiones, quam, ut mortem in miseram plane vitam commutando.

X. In primis quod spirituale est, unum hoc admonemus obbligationis eos denunciandi, nempe qui in haereticales blasphemias linguam relaxaverint, prout in edicto S. Officii, cujus desuper meminimus: Quisquis autem in Deum, aut in Beatam Virginem, vel Sanctos blasphemiam impie effuderit, pro prima vice viginti quinque scutis mulctabitur Locis piis applicandis, aut manibus post tergum ligatis, genuflexus manebit die festivo ante Ecclesiae ostium tempore, quo ibi divina persolvuntur officia cum infami inscriptione humeris, seu supra pectus affixa indicante eum ob blasphemias puniri; Pro secunda vice eamdem poenam comminamur, ac linguam praeterea premenedam mandabimus ligno, quod vulgo *Mordacchia* nuncupatur; Tertia vice ad triremes per quinque annos damnabimus, at enim subjungimus severius nos processuros, ubi qualitas delicti, et personae id exiget, ad constitutionis formam S. Pii V. quae incipit = Cum primum = ubi poenas statutas innovavit in Lateranensi Concilio sub Leone X.

XI. Etsi blasphemantes in Deum, Virginem, et Sanctos substinere graviora supplicia sint digni, nec contra homines detractiones impunitae sint relinquendae; Immo quamvis satis invehi non possumus contra publicos alienae famae detractores, eos presertim, qui effraeni, ac petulanti loquacitate non verentur palam alloqui de Superioribus, de Sacris Personis etiam in dignitate constitutis, aut de puellis; Attamen hoc immane scelus non inultum abire patiemur, ubi res ita poposcerit. Caeterum si detractores ad calumniam progredientur, falsa imputando delicta, et famam graviter lacerando, ii punientur, prout de jure, poena falsi.

XII. Demum in obsequium fidei, nedum sacras immagines procaci venustate, aut lasciva nuditate depictas (2) omnino interdicimus, verum etiam cum ex inhonestis quoque, ac obscaenis picturis fidei, et innocentiae candor laedatur, et venenum, quod in eis aspiciendis bibitur oculis, in juniorum praesertim animam serpat; Hinc Parrochis, qui Sabbatho Sancto domos aqua lustrali aspergen-

(1) *Levit. Cap.* 24. *Versu* 16. (2) *Conc. Trid. Sess.* 25. *de Invoc. Vener. et Reliq. SS. et sacris Immaginibus.*

do se gerunt, stricte committimus, ut omnibus, in quorum sunt dominio praedictae Picturae, de illis quam citissime amovendis (1), vel obtegendis, sed melius comburendis sollicite, ac ardenti studio consulant; Quod si pertinaciter recusaverint, ab eis benedictionem non impertiendo immediate discedant.

CAPUT SECUNDUM

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

I. Vineam Domini Sabaoth plantulis undique ornatam nos scimus esse Ecclesiam Jesu Christi super Catholicae unitatis petram firmiter aedificatam. Haec, sub ejusdem Salvatoris visibili Capite in Terris, multis per universum orbem locata est agricolis, ut unusquisque eam excolet, foveat, atque conservet ad hoc, ut veniens Dominus ejus dignos ab illa fructus inveniat. Nos igitur, quibus haec Sancta Aquipendiensis Ecclesia locata fuit, de die in diem ex ea aeternae salutis fructus videre cupientes, quod minime foret, nisi plantulae foveantur; Et cum plantulae sint adolescentuli, quos a pueritia, ne vitiorum turma evellat e religionis fundamento, erudiendos, et curvandos esse oportet (2), ideo curandum est, ut ipsi a primaeva aetate instruantur de fidei mysteriis, ac de omnibus, quae plurimum conducunt ad ortodoxi hominis vitam pie, riteque instituendam; Id certe assequemur, si ad ea quisque se referat, quae a Synodo Tridentina statuta sunt (3). et ad normam novissimi Concilii Romani (4). cujus praeclara verba, quae sequuntur, referimus = Parrochi singulis saltem Dominicis, aliisque diebus festis post meridiem, hora competenti, dent signum campanae, et aliquos mittant per vias ad convocandos in Ecclesiam Parrochialem pueros, et puellas a septennio, et supra, usque ad annum decimum quartum, quorum Catalogum ipsi penes se habeant =.

II. Cum ad Ecclesiam iidem convenerint, separentur mares a foeminis, et singuli per sua loca disponantur; Tunc Parrochus non in sublimitate verborum, sed plano stylo, et familiari sermone exponat Christianae fidei rudimenta, ea praesertim, quae omnes explicite credere oportet nedum necessitate medii, sed etiam de necessitate praecepti; Doceant insuper elicere actus fidei, spei, et charitatis, et contritionis, eosque de eorum motivo formali perfecte, ac perspicue imbuant, utque altius haec infigantur memo-

(1) *Acta Med. pag. 77. Et quoniam. Et Sac. Cong. Conc. in Synod. Cesenat. 26. Feb. 1695.*
(2) *Exodi 7. V. 25.*
(3) *Con. Trid. Sess. 24. de Ref. C. 4.*
(4) *Conc. Rom. Tit. 1. C. 4.*

riae à singulis interrogando repetant, quemadmodum, et alia nostrae Religionis capita.

III. Si quis ex Parrochis huic muneri unica defecerit vice, citra rationem, et insuperabilem causam, poenam luet arbitrio nostro pro modo culpae statuendam; Ulterius vero negligentes suspensioni a divinis subjiciemus; Permittimus tamen, ut in solemnioribus festis haec instructio possit intermitti, dummodo in missa Parrochiali, vel alia commodiori hora, mysteria recurrentia populo explicentur.

IV. Ne autem hoc pabulum tam salutare ignorantibus deficiat, atque ipsis, ut frequentius, et utilius administretur, Clerici omnes, etiam in Sacris ordinibus constituti, omnino Parrochum adjuvare tenentur, alias ad altiores ordines non promovebuntur; omnes quoque Praesbyteros in Domino hortamur, tanquam nostri Pastoralis muneris, et Parrochorum adjutores, nec non Christi Domini comministros, ut libenter sese exhibere non detrectent panem videlicet, parvulis petentibus frangendo, Doctrinam Christianam una cum Parrocho in Ecclesia tradentes; Et nos in Paroeciarum, et Beneficiorum collatione specialem, et distinctam rationem faciemus de assidua diligentia in hoc pietatis opere a Praesbyteris, et Clericis habita. Ubi autem commorantur Magistrae piae, volumus, ut puellae separatim a maribus instruantur, alias si ibi ipsae non essent institutae, edoceantur ab aliis instructis Virginibus, vel Matronis, seu ab ipso Parrocho, aut ab aliis Sacerdotibus provectioribus, et pietate exemplaribus adultis; Non ommittat Parrochus aliquod caput Cathechismi Romani ad auditorum captum explicare.

V. A Dominica vero *Lætare* usque ad Dominicam Palmarum, singulis diebus Parrochi hora statuta, et sacro campanae sonitu, ad conventionis signum pueros, et adolescentulos, in aetate duodecim annorum, et supra constitutos in Ecclesiam Parrochialem coactos, de rite, et fructuose Sacramentis Confessionis, et Communionis suscipiendis instruant.

VI. Pueri quamplures non solum, sed etiam adulti, vel extra Civitatem, et Oppida commorantes, vel ad animalium custodiam in locis campestribus addicti, vix diebus festis praeceptum audiendi Sacrum satisfacientes reperiuntur, nec non ea ignorantia laborare noscuntur, qui etiam nesciunt potiora fidei mysteria, eaque addiscere cum aliis instructionibus Doctrinae Christianae erubescunt; Nos eorum aeternae saluti consulentes, praesenti Synodali decreto stricte mandamus, ut omnibus diebus Dominicis, et aliis festis de praecepto, in omnibus Ecclesiis etiam ruralibus Sacerdos quisque primam, vel unicam Missam celebrans, sub poena scutorum trium, post lectum Evangelium, genuflexus ante Altare, alta, et intelligibili

voce dicat Italico idiomate, et populo universo respondente, saltem sequentia principaliora fidei mysteria SSmae Trinitatis, et Incarnationis, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, praecepta Decalogi, praecepta Ecclesiae, Septem Sacramenta, et actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis (1). Idem servandum volumus a Sacerdote celebrante primam Missam in Ecclesia Sodalitatis S. Stephani hujus Civitatis Aquipendii, et in quacumque alia Ecclesia Urbana per nostrae Dioecesis loca, ubi Missa celebratur in Aurora, sub poena Juliorum quinque (2) pro omnibus, qui haec omiserint.

VII. Sollicite quoque inquirant Parrochi, an aliqui adulta aetate, vel etiam senes fidei rudimenta ignorent, et quos ipsis compertum est non callere ea, quae scitu necessaria sunt, privatim conveniant, et industrioso studio examinent, eorumque erubescentiam paterna Charitate praecaventes eruditant.

VIII. Institutores Grammaticae juxta Lateranensis Concilii Constitutionem (3) hortamur, ut semel saltem in hebdomada sacris dogmatibus suos discipulos instruant, efficiantque, ut Christianae doctrinae libellum, quem de mandato Clementis VIII. Typis mandavit Cardinalis Belarminus, habeant omnes, eumque ad disputandum in schola, vel in Ecclesia memoriae mandent, et rursus Dominicae diebus ad sacrae doctrinae instructionem, quae post prandium vel ante, in Ecclesia habetur, illos ducant, nec nisi ea absoluta discedant.

IX. Tandem omnes monitos esse volumus, impossibile esse, fidei misteria ignorantes salvos fieri, ac propterea etiam in mortis articulo minime absolvendos fore, prout ex damnatione propositionis sexagesimae quartae inter proscriptas ab Innocentio XI. Puellas postremo simili ignorantia laborantes non esse admittendas in Monasteria inter Educandas mandamus, nec ad dotem consequendam, quae ab aliquibus locis piis assignatur.

CAPUT TERTIUM

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE.

I. Maximum, et peculiare bonum in Ecclesia Catholica certe est Praedicatio Verbi Dei. Tale sacrum ministerium enim nihil aliud est, quam ignis ille, de quo in sacris litteris = semper ardens in

(1) *Constit. et si minime* 17. *Feb. anni* 1742.
(2) *Conc. Roman. Tit.* 1. *Cap.* 5.
(3) *Conc. Lateron.* 5. *Can.* 10. *Et decr. Sac. Cong. apud Monacel. Tom.* 2. *Tit.* 13. *Form.* 6.

altari = (1) Cujus efficaciam ostendit ipse Deus ad vitia penitus ab hominibus eliminanda esse aptum, cum expresse per Isaiam dicat = Numquid non Verba mea, quasi ignis ardens? = (2) ex cujus virtute clara ab obscuris, lucem a tenebris, a vitiis virtutes, et aeternae salutis viam a perditionis tramite cognoscimus, certamque perinde assequimur beatitudinem. Hujusmodi ignis porro semper ardere oportet inprimis, nec deficere videretur ad animarum salutem, si opportune ligna addantur; Quae sunt optima praesertim, et praeclara vitae exempla Parrochorum, quorum ex munere interest caeteris praeesse virtutibus; Deinde verbo Dei salubriter pascant oves sibi creditas. At meminerint id non esse quomodolibet faciendum, nam praeter pueros, et idiotas, etiam caeteros pascendos esse scire debent; Qua de re singulis diebus Dominicis ad minus, aliisque diebus festis, qui de praecepto servari solent, post lectum in parrochiali Missa Evangelium, sermonem brevem habeant, et facilem, auditorumque capacitati aptum, vitiaque declinare, et virtutes, quas sectari oporteat denunciando. Hoc est indispensabile debitum Parrochorum, aliorumque animarum Rectorum jampridem a Concilio Tridentino significatum (3) Et a novissimo Romano Concilio declaratum (4). Sciant itaque Parrochi omnes, nos sedulo invigilaturos, et ubi negligentes reperiremus, post primam, et secundam monitionem, eos poena pecuniaria mulctabimus, ac imposterum eorumdem expensis alterum Sacerdotem deputabimus, qui plebem indesinenter, sollicite que Verbi Dei praedicatione pascat.

II. Nullus ad praedicationis Verbi Dei munus tam Adventus, quam Quadragesimali tempore accedere praesumat in Ecclesiis nostrae Dioecesis, nisi prius licentiam, et benedictionem obtineat a nobis, et coram nobis comparuerit, ut de Populi necessitate admoneatur, quo animarum languoribus mederi possit: Qui secus fecerit, a munere praedicandi suspensus maneat, sub qua poena Conciones de nocte fieri prohibemus, et dum ad sanctimoniales praedicabitur Ecclesiae fores claudantur, et in ea nullus adsit praeter Confessarium, vel Capellanum, exceptis earum Solemnitatibus, si pubblice fuerit concionandum.

III. Praeterea Parrochos, et Vicarios Foraneos monitos esse volumus; quod per nostram Dioecesim ad annuntiandum Dei verbum, nullum admittant, nisi eis constiterit, id efficium a nobis illis de-

(1) *Levit. Cap.* 6.
(2) *Isaiae Cap.* 23.
(3) *Conc. Trid. Sess.* 5. *Cap.* 2.
(4) *Conc. Rom. Tit.* 1. *Cap.* 4. *Et Not. X. Volum.* 1. *Bened. XIV.*

mandatum fuisse; Quos vero ad eos mittimus Verbi Dei Praecones amanter in Vinea Domini, in qua ipsi laborant, adveniant, de quibus non minus, quam de ipsis scriptum est = Qui bene praesunt Praesbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina = (1).

IV. Concionatores autem admonemus in Domino, quod jam necessarium est, ac perutile, ut se praebeant in primis exemplum bonorum operum, in doctrina, Sanctitate, et gravitate; Iisque praecipimus non se ipsos praedicare, sed Jesum Christum, idest non propriam, sed gloriam Dei, et animarum Salutem quaerere; Etenim Sermo Domini non in persuasibilibus humanae Sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis consistere debet (2). Itemque se abstineant a quaestionibus inutilibus, et fabulosis, auditorumque similibus animos occupare. A Dominica praeterea Passionis saltem usque ad Dominicam Palmarum unaquaque die Cathechismum et Instructionem ad Populum de Sacramentali Confessione valide facienda Concionatores habeant; Qui ad moniales praedicare mittuntur congruis argumentis, et debita cum gravitate, accurata circumspectione, et singulari modestia ad regularem observantiam, et virtutum perfectionem eas excitent, et inducant.

V. Tempore Concionis in Adventu, et Quadragesima officinas, apothecas, et tabernas occludi mandamus sub poena scutorum duo: Interim in Domino hortamur, ut omnes Ecclesiam adeant audituri pro salute animarum suarum verbum Dei, eoque vel maxime tempore mares a foeminis separati consistant; Si qua mulier inter viros, et vir inter mulieres studiose adstare praesumpserit, poena scutorum trium Ecclesiae ipsi applicandorum irremissibiliter incurret.

VI. Canonici tam Cathedralis, quam Collegiatae Canini, qui caeteris bonorum operum exemplum praebere debent, adsint concionibus in habitu Clericali, devote, aedificanter audiant verbum Dei, nec non tempore, quo fit Concio, aut aliqua sacra allocutio ad Populum, nemo audeat illorum quidquam legere, aut privatas horas Canonicas sibi edicere sub poena arbitrio nostro infligenda. Itemque pro nostro libito interesse debent Canonici in die Sancto Paschate, quamvis homiliam de mane habuissemus. Caeteros autem Clericos, et Sacerdotes serio monemus, ut legittimo cessante impedimento, Concionibus semper intersint cum superpelliceo, et bireto, ut ab ipsis reliqui de Populo sumant quid imitentur; Parrochis vero, nisi aliter neccessitas cogat, praecipimus (3).

(1) *Apost. ad Timoth.* 1. *Capite* 5.
(2) *Apost. ad Cor. Cap.* 5.
(3) *Conc. Mediol.* 1. 1616.

VII. Postremo, qui Concionatores jus nominandi habent, tam pro Adventu, quam pro Quadragesima, videant, ne humano affectu idoneis minus idoneos praeferant. Nominationis autem documentum, in quo nullatenus vocabula eligendi, seu electionis, deputandi, seu deputationis, sed solum nominandi, et praesentandi sunt exprimenda, Nobis praesentetur, et in nostra Cancelleria referatur, antequam labantur festivitates omnium Sanctorum pro Adventu, et Epiphaniae pro Quadragesima; Secus, elapso statuto tempore, nominatio Concionatoris rejicietur, et pro ea vice ad nos integre spectabit de Concionatore providere, cui solitam eleemosinam, seu stipendium Communitates denegare, seu diminuere non valent, inconsulta Sacra Congregatione Concilii, vel Boni Regiminis (1).

VIII. Quaecumque tandem Concionatores nostra animadversione cognoverint indigere, exacto Praedicationis munere, vel ante, si celerius remedium gravitas rei postulaverit, nobis deferant.

CAPUT QUARTUM

DE SACRAE SCRIPTURAE LECTIONE, ET DE CASUUM MORALIUM, ET LITURGICORUM CONFERENTIIS.

I. Cum Sacrosancta Tridentina Synodus statuerit, ut in Ecclesiis Sacra Scriptura exponatur, ne Coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus remaneat, ideo Sacrae Scripturae expositionem fieri mandamus per Canonicum Theologum tam in nostra Ecclesia, quam in Collegiata Canini per quadraginta vices quotannis (2) diebus, et hora a nobis praefigendis pro majori Cleri, et Populi commoditate (3). In his lectionibus exponendis non illas detineat sententias, quae et inani principio, vel ex proprio ingenio devenire videantur, verum ab iisdem rationibus, et auctoritatibus depromat, quas ob veneranda misteria, Patres, et Doctores sunt amplexati; Methodum insuper claram adhibeat uniuscujusque captui delatam, remota omnino quacumque ridicula narratione. Duo semper solvat argumenta, praemissa litterali expositione. Textus enunciati, unum historicum, morale alterum, seu instructivum (4) ad hoc, ut auditores vel de articulis fidei, vel de Sacramentis, vel de virtutibus quid docuisse sentiant.

(1) *Sac. Cong. Conc. in Tiburt.* 3. *Junii* 1693. *Et S. Cong. boni Regim. in Ripat.* 24. *Sept.* 1711.
(2) *Conc. Rom. Cap.* 7.
(3) *Idem Conc. Cap.* 9.
(4) *Idem Conc. Rom. Cap.* 8.

II. Sacrae Scripturae lectionibus absolute adesse teneantur Dignitates, et Canonici habitu Chorali induti, Parrochi quoque, et Confessarii, sub poena contenta in Concilio Romano (1); alios quoque Sacerdotes, qui non sunt de gremio Capituli, nec Parrochi, nec Confessarii, sicut et Clericos, maxime in Sacris constitutos adesse in Domino hortamur. Quod si speciatim Clerici in minoribus constituti non legittime impediti abfuerint, sciant, teneantque, minime ad altiores Ordines esse ascensuros; Quapropter Punctator Capituli, seu alia Ecclesiastica Persona ab Archidiacono designanda, absentes fideliter noret singulis vicibus. Quorum catalogum penes se retineat, et in finem cujuslibet anni scripturalis nobis referat, ut ad statutae poenae Concilii Romani exactionem irremissibiliter solvendam procedamus.

III. Tempore, quo Sacrae Scripturae expositio fit, nec capitulariter comitia ab Ecclesiasticis, nec aliae publicae, vel privatae functiones sacrae habeantur, ita quoque illi Ecclesiastici, qui impediti non interfuerint, caveant, ne scandalo per vicos, et plateas Civitatis populo inserviant, Quod si contigerit id fieri, nos horum delinquentiam puniemus.

IV. Vacationibus quoque gaudeat Canonicus Theologus, ut ab expositione, et labore requiescat; Quapropter tempore Adventus, et Quadragesimae, iisque diebus, quibus homilia a Nobis, vel Successoribus nostris ad Populum habebitur, necnon de mense Octobri ab explicanda Sacra Scriptura sileat. Caeteris vero temporibus ita expositiones in Dominicis, festisve diebus praefigentur, ut quadraginta saltem lectionum numerus compleatur omnino. Insuper aequum est pro tota die, qua lectionem habuerit, Canonicum Theologum immunem esse ab obbligatione assistendi in Choro tempore divinorum officiorum, dummodo in debita forma suo fungatur officio, eique quotidianas distributiones deberi, eumque idcirco a punctationibus gravari nolumus (2).

V. Praeter Sacrae Scripturae lectionem, cui Ecclesiastici interesse debent, a qua lumen Veritatis agnoscunt, aliud datur munus, ad quod, ut ipsi intendant volumus, scilicet, Casuum moralium, ac Liturgicorum conferentias, unde mandamus, ut semel in mense in Aulam nostri Palatii, Capitulares Parrochi, omnesque Confessarii conveniant, ibique coram nobis, vel nostro Vicario Generali die statuto praefatae discussioni interveniant. Duo erunt Casus morales, et duo ex Liturgia in fine Kalendarii imprimendi in unoquoque mense; Tribus saltem diebus antea schedula in Sacristia appensa omnibus pateat, ut unusquisque statutum solutionis diem com-

(1) *Conc. Rom. Cap.* 10. (2) *Idem Conc. Rom. eodem Cap.* 10.

prehendat, ac se disponat, ut suum valeat in ea sensum aperire; Nomina eorum, a quibus erunt enodandi Casus morales, extrahantur sorte a Praefecto, seu Moderatore, quique Confessarii esse debent, et in urna inclusi: Itemque alii eligantur, qui Liturgiae quaestioni erunt responsuri; Inter quos erit unus a nobis eligendus, qui in unaquaque conferentia, auditis omnibus aliis, meliores, et probabiliores opiniones circa propositos Casus approbet, ac aperiat; Hanc vero Casuum conscientiae conferentiam eodem stylo, ac methodo etiam in quocumque Dioecesis nostrae loco fieri mandamus, ita quidem, ut si Parrochi, et Confessarii tum Civitatis, quum Dioecesis fuerint absentes absque legittima causa a nobis approbanda, gravi mulcta puniantur; Quo vero ad Clericos omnes maxime in Sacris constitutos, si abfuerint, non fore promovendos ad Ordines monemus.

VI. Item, antequam ad enunciatas conferentias deveniatur, volumus, ut divino de more, invocato Spiritus Sancti auxilio ab aliquibus ex Clericis a Praefecto deputandis, caput aliquod nostrarum Synodalium Constitutionum alta voce coram adstantibus perlegatur, quatenus eas facilius percipere, memoria retinere, et executioni, prout confidimus, mandare valeant.

VII. Casuum tandem discussione absoluta, caeterisque peractis exercitiis, res ad animarum curam, ad Clericalis vitae, morumque honestatem, ad divinum cultum, et ad scandala, ac vitia tollenda spectantes in iisdem Congregationibus discuti poterunt; Haec tamen, exclusis omnibus aliis, a solis Parrochis cum nobis, aut Vicario nostro Generali tractabuntur.

CAPUT QUINTUM

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

I. Dies festos Creator Omnipotens ab ipso mundi exordio in Religionis, ac fidei cultum instituit, cum benedixit diei septimo, et sanctificavit illum; Quia in ipso cessaverat ab omni opere suo (1), sicque sex hominibus dies ad operandum in eis reliquit; Septimo eas feriatas voluit, ut sanctificent illum; Ex hoc praecepto autem duo nobis importare videntur, sanctificationem scilicet diei, et ab operibus servilibus cessationem; Id ipsemet Deus variis Scripturarum locis, maxime Exodi capite vigesimo declaravit = Memento, inquit, ut diem Sabbathi sanctifices, sex diebus operaberis. Non facies omne opus in eo tu, et filius tuus, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas = Hoc

(1) *Genes. Cap.* 10.

ipsum in lege veteri in tertio Decalogi praecepto Christus Dominus, qui venit non solvere praecepta, sed adimplere (1) abrogatis quibusdam ritibus, et caeremoniis, confirmavit in nova. Sabbathi autem loco statuerunt Apostoli observantiam primi diei Hebdomadae, quem diem Domini, alias Dominicam nominarunt; Et quoniam in Lege Mosaica praeter Sabbathum, alia quoque festa, ad Dei praeclara opera debita religione memoranda, fuerunt instituta; Ita in nova lege tum Apostoli, quum Summi Pontifices solemnes aliquos dies instituerunt ad Christianae Religionis praecipue misteria recolenda, et praecelsae Genetricis Dei Mariae, Sanctorumque cum Christo in Coelo regnantium memorandos triumphos.

II. Cum igitur festi dies tales sint in primis, quod dici merito possint, tempus acceptabile, et dies salutis (2) scilicet illi, qui sunt de praecepto; Ideo eos observari mandamus, nec non in Domino praecipimus, omnes Christifideles hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis se erga Deum, et proximum in officiis Christianae Charitatis exercere; Et in primis Sacrum audire, ad Ecclesiam liberius ire, Psalmis, et Hymnis, et Canticis Spiritualibus insistere, Orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad immitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, atque eleemosinas indigentibus ministrare (3).

III. Quoad vero opera servilia, omnia absolute cum sint prohibita, volumus, et mandamus ab iisdem operibus singulos cessare, ac se abstinere a media nocte festum praecedente, prout in Concilio Meldensi statutum fuit (4) usque ad mediam noctem sequentem; Inter opera servilia, quae sunt rustica, et urbana, seu artes mecanicae, sive domi, sive in aperto prohibemus. Itemque prohibemus vecturas equorum, jumentorum, aliorumque animalium; Illis tantum vecturis exceptis, quae die feriali cepta fuerunt.

IV. Diebus festis nulli fiant mercatus, et nundinae, iis exceptis, quae ex privilegio permittuntur. Illi mercatus, qui in hac Civitate Aquipendii, aut in aliis nostrae Dioecesis locis, qualibet hebdomada iniri solent, si quando incidant in diem festum, transferantur in diem praecedentem. Mandamus insuper, dictis sacris diebus occludi apothecas, nihil vendi, aut emi, aut alia fieri negotia prophana, et illicita. Si quis in aliquo contra praedicta deliquerit, poenam pecuniariam luet ad pium usum arbitrio nostro applicandam.

(1) *Mattheis C.* 17.
(2) *Apost. ad Cor. prim. C.* 6.
(3) *Nicol.* 1. *ad Consult. Bulgar. C.* 11.
(4) *Conc. Melden. Anno* 845. *C.* 77. *sub Sergio* 11.

V. Permittitur tamen aliquibus, uti sunt Laniones, Salsamentarji, vini Venditores, aliaque quotidiano victui necessaria praebentes, ut possint vendere; Itemque Pharmacopolis permittimus, ut sua vendant medicamenta, sed caveant signum, scamna, et sedilia extra apothecam tenere: Fabriferrariis licentiam facimus equis, aliisque jumentis mederi, eisque ferreas solas apponere, si fuerint tantum per transitum; Nolumus autem praefatas permissiones locum habere in solemnioribus anni festivitatibus; Quales ex Glossa Cap: de Feriis sunt = Nativitas Domini = Pascha = Ascensio = Pentecostes = et Epiphania = Reliquis infra annum festivitatibus, tempore, quo divina persolvuntur officia, nedum vendere vetamus, sed et apothecas aperire.

VI. Et cum aliquando necessitas urgeat tam publica, quam privata praesertim pauperum, aut pietas suadeat, vel publica utilitas exigat, maxime tempore messis, foeni, aliorumque fructuum recolectionis, seu periculum immineat, et elabatur occasio, hoc declarare nobis, et Vicario nostro Generali in Civitate, in Oppidis Vicariis Foraneis reservamus, adeo ut, absque tali approbatione, et licentia, nemini liceat haec opera exercere servilia: Haec licentia gratis omnino concedatur, et in scripto, dummodo neccessitas, vel periculum non sit affectatum, vel procuratum (1), firma semper conditione audiendi Missam, atque subjunctis aliquibus Pietatis operibus.

VII. Mandamus insuper, et statuimus, ut diebus festis cujuscumque generis contractus jurati nulli fiant, neque judicia exerceantur, nec litium acta agitentur cujusque Fori, neque a Notariis publica instrumenta scribantur, nisi gravioris momenti exigat occasio, aut aliqua pietatis causa intercedat. Capturae sive reales, sive personales executioni minime mandentur; Diebus enim festivis actus omnes, et strepitus judiciales silere debent. Contraventores praeter nullitatem, ad solutionem scutorum quinque irremisibiliter condemnamus.

VIII. Praeterea, dum Missa, Officia Divina, Sacra Concio, Doctrina Christiana, vel quaecumque alia Ecclesiastica functio peragitur, nulli in Ecclesia, vel prope ipsam strepitus, clamores, aut importunae confabulationes permittantur; Cantilenae autem, Istrumentorum concentus, Saltationes, Spectacula, Circulatorum ineptiae, ludive quilibet prope Ecclesiam nunquam, nec etiam alibi per plateas dictorum Sacrorum tempore ullatenus tollerentur; Inordinatas denique comparationes, sicut et comoedias, tum in publicis, quum in privatis locis in toto die festo pariter vetamus.

(1) *Benedi XIV. Notificat:* 65.

IX. Est etiam secundum aliquos Theologos alia origo inobservantiae festorum dictis abominabilior, magisque lacrimabilis, quae et ipsa Sanctitati dierum adversatur. Id nil aliud est quam peccatum, quod revera est opus servile; Etenim homo per peccatum inservit peccato, et secundum hoc, quodcumque opus peccati dicitur servile. Et quoniam homo magis impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus servile licitum, sed vetitum per justitiae legem, ideoque magis contra praeceptum sanctificandi festas dies agit, qui hisce diebus peccat. Clament igitur Parrochi, et ne cessent, omnes quasi tuba exaltent vocem, efficacique sermone Populum excitent, ipsique inculcare non desinant Sanctae Religionis fervorem, ut diebus festis maxime a peccatis mortalibus abstineant; Nam lethale peccatum per praefatos Theologos iisdem diebus commissum, ultra propriam deformitatem, aliam quoque inducit ob circumstantiam temporis sacri, quo festum violatur. Et cum nobis aperte constet, quod Ebrietas, Blasphemiae, inhonesti Sermones, Rixae, Homicidia, et alia peccata, quibus Dominus Deus offenditur in diebus Sanctis, ortum habeant ut plurimum a frequentatione tabernarum, ideoque praecipimus, ac decernimus, ut absolute claudantur tabernae etiam in domibus privatis, exclusis quibuscumque potatoribus tempore speciatim, quo in Ecclesiis publicae celebrantur functiones: in aliis horis vinum vendi permittimus, sed non protracta prima noctis hora, ac janua solum semiaperta, ac semotis rixis, strepitu, ludis, et similibus, sub poena scutorum quinque pro unaquaque vice; Quod si contraventores hujusmodi poenam pecuniariam solvere effective nequiverint, poenam carceris diebus octo in pane, et aqua subibunt. Tandem non solum diebus festis, sed etiam singulis sextis feriis in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi, et quadragesimali tempore, et Adventus tripudia facere, larvas sumere, cytharas pulsare, et similia sub poena desuper expressa, aliisque arbitrio nostro, juxta facti, et personarum qualitates.

X. Ut omnibus autem festivitates de praecepto servandae aperte innotescant, volumus, ut Parrochi Dominica praecedente easdem in hebdomada occurrentes Populo denuntient, instruentes quomodo se disponere debeant ad illas sanctificandas. Et praecedente die post Angelicam Salutationem saltem Vespertinam, Campanarum sonitu Fidelium devotio ad celebrandum festum promoveatur. In Solemnitate Epiphaniae inter Missarum Solemnia publicentur Festa Mobilia ad praescriptum Coeremonialis Episcoporum (1).

(7) *Coerem: Episcop: Lib:* 2: *Cap:* 15: *Num:* 3:

XI. Nos tandem universum gregem nobis creditum in Domino obsecramus, ut singuli, quae praescripta sunt, diligenter observent, ne misericordiarum Patrem ulterius ad iracundiam provocent; Nam Festorum Profanatores in Scripturis Sanctis detestatur Deus, et protestatur se de tam gravi crimine ulturum super eos, his verbis = Sabbatha mea violaverunt vehementer, dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos (1).

CAPUT SEXTUM

DE PROCESSIONIBUS.

I. Quamvis Ecclesiae sint domus Orationis, attamen in omni loco orandum est, ut Apostolus monet (2), et ob finem hunc institutae sunt Processiones, ut nos non tam corporis gradibus, quam mentis affectibus circumeuntes Civitates, et Oppida, per vicos, et plateas quaeramus quem diligit anima nostra (3). Hinc pronum est intelligere, quod Ecclesia Catholica in Processionibus ad nostrae dilectionis objectum, quod solus Deus est, a Spiritu Sancto edocta, vult, fideles suos pro collatis beneficiis illi gratias referre, et binos ad instar discipulorum Christi procedentes, misteria quaedam in fraterna charitate exprimere, conjunctis precibus Omnipotentis Dei cultum publice augere, vel pro peccatis nostris, et excessibus vindictam avertere, atque ex corde misericordiam consequi exorare.

II. Ut autem his sanctis probatis actionibus, quibus a Dilecto nostro bona multa consequimur, et misericordiae effectus invenimus in auxilio opportuno, debitus honor habeatur, volumus, ut in Ecclesiis diligenter servetur praescriptum a Rituali Romano, nihilque addatur, vel minuatur; Quapropter Parrochorum erit, aliorumque Ecclesiarum Rectorum ad hoc invigilare.

III. Parrochi in Dominicis, et Festivitatibus Processiones praecedentibus illas annuntient Populo, et instruant plebem sibi commissam de causis, seu motivis, propter quos Processiones sunt institutae, vel indictae. Sanctum fervorem in tepescente populo excitent praesertim in Litaniis minoribus, vel majoribus, admonentes, ut illi intersint; Cantores, dum Processio ordinatur, in medio sistant, ut eas intonantes, vel alias praescriptas preces, aut laudes spirituales a Clero, et Populo commode audiantur, et ab omnibus responderi possit, neque enim par est, ut privatim quis secum, aut cum

(1) *Ezechiel: Cap:* 20: *Versu* 13. (3) *Cant: Cap:* 3: 4: *et* 2:
(2) *Prima ad Timoth: C.* 2: *et* 8.

sociis eas tunc recitet preces, sed commune votum communis oratio prosequatur, nisi aliquibus in Processionibus id contingere oporteat propter cantum Ecclesiasticorum dumtaxat.

IV. Nulli in Processionibus, et expresse Ecclesiastici, et Sodales invicem confabulentur, aut indecorum aliquid committant, unde alii scandalo offendantur. Sed tunc vel maxime modestia nostra nota sit omnibus hominibus, et bona quaeque coram Deo provideamus, cum in nomine Christi congregamur, ut proinde cum gaudio etiam nobis dicere liceat = Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via? (1) Quicumque vero Sacco non induti Processionem sequuntur, religiose silentium custodiant, aut Rosarium recitent, seu alias devotas preces, modo non turbent publicas Cleri, et Confratrum orationes, et mares a foeminis separati incedant.

V. In Processionibus generalibus, in Festo Sancti Marci Evangelistae, Rogationum, ac in Solemnitate Sanctissimi Corporis Christi, vel in iis, quae in hac Civitate, et Dioecesis locis laudabili ex consuetudine fieri consueverunt (et non sunt omnino praetermittenda); Sicuti etiam in Festis SS. Patronorum, vel aliorum Sanctorum, ac praecipue in Festis Assumptionis B. M. Virginis, ac Sancti Antonii Patavini, omnes conveniant ex Clero tum Saeculari, quum Regulari, sub poenis arbitrio nostro infligendis; Quoad vero Regulares observetur consuetudo locorum, ubi morantur, salva tamen semper stricta obligatione ad supradictas generales Processiones interveniendi, nisi indulto Apostolico sint exempti (2). Nullus discedat functione penitus non absoluta. Canonici, et Capellani, si discesserint, habeantur tanquam absentes, et omnes contraventores poena gravi punientur.

VI. Data hora, et Processionis signo, omnes in Ecclesia majori, vel alia, in qua Processio inchoatur consistant, ibique orent donec ea inchoabitur: Interim Magister Coeremoniarum, ne quid confusionis oriatur, Processionem ordinet, et quatenus opus sit, et fieri poterit, alios ad hoc adhibeat Clericos, qui superpelliceo induti adjuvent illum, et curent, ut suum singuli locum teneant, ac reliqua decenter peragantur; si qua lis movebitur de praecedentia, nostrum erit tunc illam componere, nullum interim censeatur illatum partibus praejudicium (3). In exitu, et reditu Processionis pulsentur Campanae, et in singulis Ecclesiis, in quas ingreditur, vel ante quas transire contingat; Viae per quas transibit Proces-

(1) *Lucae Cap.* 24: *V.* 32.
(2) *Conc: Trid: Sess:* 25: *C.* 13.
(3) *Con: Trid: Loco citato.*

sio à sordibus mundentur, equorum, autem, aliorumque jumentorum, et animalium ductores ne audeant illam interrumpere (1) sub poena carceris, aliisque arbitrio nostro.

VII. Mortariola, et alia ignea instrumenta non explodantur in via, vel magis prope viam, per quam transit Processio, ne incedentium ordo confundatur, aut devotio Populi perturbetur; Si quis item tumultus, rixas, et lites in viis, in quibus incedit Processio, excitaverit, et timorem in Clero, et Populo, aut confusionem ingesserit, poena carceris irremisibiliter, et mulcta scutorum 10. plectetur.

VIII. Nullatenus fiant Processiones nocturnae, sed omnino compleantur circa horam primam noctis; Quod si contigerit, aliqua urgente ratione, tardius fieri, id per nos, seu per Vicarium nostrum Generalem probandum erit, ea semper observanda lege, ut ab ipsis Processionibus arceantur foeminae sub poena arbitrio nostro infligenda. In Processione, quae fit feria quinta in Coena Domini, vel feria sexta in Parasceve ob Passionis Domini nostri Jesu Christi memoriam, publicos poenitentes prohibemus, qui nudata terga sibi flagris percutiunt sub poena scutorum trium aureorum, et formalis detentionis in carceribus: Sub eadem poena auctores Processionis nocturnae absque licentia declarantur comprehensi (2). Praeter Processiones ab Ecclesia statutas, aut ex locorum consuetudine praescriptas, nullae aliae extraordinariae, et novae fiant sine nostra, aut Vicarii nostri Generalis approbatione in scriptis. Quae apud Regularium Ecclesias institutae sunt Processiones, ad quas Capitulum, vel Clerus saecularis ex conventione, et consuetudine adeunt, volumus, et decernimus omnino servari solitum ab utroque Clero, ne cum animarum pernicie scandalum oriatur; Sic enim servatur ordo in vinculo pacis.

IX. Solemnem, ac triumphalem Processionem Sanctissimi Corporis Christi splendidiori, qua poterit, pompa, et apparatu fieri praecipimus: Proinde Ecclesia ipsa meliori modo adornetur: Et viae, per quas Processio transire debet, non solum mundentur, sed etiam ornentur secundum facultatem, et qualitatem loci; Floribus quoque, frondibusque virentibus sternantur (3). Dignitates, et Canonici paramentis albis sibi competentibus sint induti: Ipsi, omnes caeteri de Clero tam saeculari, quam regulari, ac Confratres sodalitatum candelas cerae albae accensas manibus gestent; Et quoniam, ut plurimum, vento, aut pluvia improvisa su-

e

(1) *Coerem. Episcop: Lib:* 2: *Cap:* 32.
(2) *Spoletana Cappel.* 15: *Novembris* 1710.
(3) *Coerem: Episcop: Lib.* 2. *Cap.* 33.

perveniente, extincta omnia remanere videantur, quae deferuntur, aperta luminaria; Idcirco, ne incongruum, et Augustissimo Sacramento indecentissimum eveniat (1), quod tunc lumina debita sint extincta; mandamus in singulis locis nostrae Dioecesis per societatem Sanctissimi Sacramenti provideri de quatuor saltem lanternis, quae sint aliis nobiliores, et intus suas semper habeant candelas accensas, easque hinc inde prope Baldachinum defferri sub poena gravi nobis arbitraria contra officiales desides omnino infligenda. Omnes incedant detecto capite non solum in Processionibus Sanctissimi Sacramenti, sive in memorata Solemnitate, sive in tertia Dominica cujuslibet mensis; verum etiam, quando defertur lignum Sanctissimae Crucis (2).

CAPUT SEPTIMUM

DE JEJUNIO

I. Cum inter caetera virtutum opera, quibus Deo praesertim satisfacimus pro peccatis, abstinentia carnis multum valeat, quamque a Deo ipso institutam, atque Reparatoris nostri exemplo comprobatam certo experimur salutarem esse, ac propemodum necessariam tam corpori, quam animae; Haec abstinentia propterea fidelibus semper est exhibenda; His, ab Ecclesia statutis quibusdam temporibus, jejunium proponitur, nam nil majus spirituale bonum jejunio dari videtur tam accomodatum ad sublevendam mentem in Coelestium rerum contemplationem, ad misericordiam consequendam, ac demum ad sanctificationem spiritus; Idcirco Fideles nostrae curae commissos monitos esse volumus, ut non solum statuta jejunia sedulo observent, sed etiam ea sanctificent (3).

II. Hinc Parochorum erit jejunia infra hebdomadam occurrentia Populo annuntiare Dominica praecedente inter Missarum celebrationem; Doceant insuper jejunii virtutes praecipue ante Quadragesimam; Et nunc ex novissimis Ecclesiae statutis ante Adventus jejunia, quae singula sunt in unaquaque feria sexta, et Sabatho observanda cujuslibet hebdomadae usque ad Nativitatem Domini. Significent praeterea, quae sit jejunandi obligatio etiam in cibis vetitis, quando quis dispensatus existit, et quae obligatio circa ciborum qualitatem horum comedendi, et refetiunculam vespertinam; qui ex obligatione ad jejunia teneantur, et qui ra-

(1) *Conc: Rom. Tit:* 15: *Cap:* 17.
(2) *Sac: Rituum Cong: in Cajet:* 18. *Junii* 1690.
(3) *Joelis. V.* 15.

tione aetatis, laboris, aegritudinis, et valetudinis ab ea eximantur. Caveant tamen, ne laxorum doctrinam sequantur maximo cum detrimento ovium suarum. Idipsum praestent etiam Capellani Urbani, qui celebrant in aurora, et Capellani Rurales. Pridie vero illius diei, quo jejunandum, circa primam noctis horam id significabunt aliquibus campanae pulsationibus. Instante vero tempore Quadragesimali ante mediam noctem, quae feriam quartam cinerum praecedit, detur campanae signum solemnis jejunii saltem per mediam horam, ut omnes Christifideles à comestura, et à cibis vetitis media nocte abstinere incipiant.

III. Quo quidem tempore, si quis justam habuerit causam comedendi cibos vetitos, nisi per nos Apostolicae dispensationis indultum pro personarum qualitate, et circumstantiis emanatum foret, facultatem opportunam in scriptis gratis à nobis, vel à Vicario (1) nostro Generali in Civitate, et à Vicariis Foraneis in Dioecesi impetret, nec tamen ea concedetur, nisi prius visa medici attestatione; Medicorum autem conscientiam oneramus, eosque monemus, ne officiosa quadam conniventia, vel facilitate, hujusmodi attestationem subscribant, sed tantum legittimis, et urgentibus causis occurrentibus, ne de aliorum peccatis participes evadant, ipsique Deo respondeant. Interim monemus eas quoque personas, quae à Quadragesimali praecepto solutionem obtinent ob eam causam dumtaxat, quod detrimentum propriae saluti non leve afferant cibi Quadragesimales, ut sciant se ad sequentes conditiones teneri = Primo unicam comesturam servare eis oportet circa meridiem, concessa vespertina refetiuncula ad instar aliorum jejunantium (2). = Secundo interdicitur ipsis vesci carnibus, quamvis in quantitate, et pondere tenuissimo in ipsamet refetiuncula, sed uti valeant cibo, et potione, quibus homines jejunantes rectae, et meticulosae conscientiae utuntur. = Tertio prohibetur iisdem epularum commixtio, nempe carnium, et piscium, etiam Dominicis diebus, in quibus non jejunatur; Possunt tamen eadem in mensa, si dispensatio, et facultas data esset edendi ova, et lacticinia, pisces simul vesci (3). = Quarto ipsis non licet extra unicam comesturam potiones lacte permixtas sumere, sed in omnibus, praeter comesturam unicam, servare debent, quae jejunantes non dispensati servant. = Quinto praecepta hujusmodi

(1) *Bened. XIV. Constit: Non ambigimus die* 3: *Maii* 1741.
(2) *Idem Bened: XIV. Constit. Si Fraternitas tua* 8: *Julii* 1744.
(3) *Clemens XIII. Constit: in Encicl:* 20. *Decembris* 1759.

obligationem inducunt etiam extra Quadragesimam in singulis jejuniis per annum ; Ab Ecclesia propterea quibusdam Sanctorum vigiliis per anni circulum quoad jejunium abrogatis, in singulis sextis feriis, et Sabathis, ut jam innuimus, tempore Adventus instituta pari praecepto observantur jejunia. Hortamur vero in Domino Jesu Christo omnes sic dispensatos, ut alio modo quid bonum faciant instando orationibus, pauperibus eleemosinas elargiendo, et similia pietatis opera edendo (1).

IV. Sciant quoque universi nostrae Civitatis, et Dioecesis Populi Apostolicae Sedis dispensationem a Quadragesimali observantia petere non posse, ut opinio nonullorum est pro libito, et ob levissimam causam, sed quando dumtaxat necessitas gravissima Populo universo urget, quae per nos ex conscientiae testimonio exponatur, nobisque postulantibus, haec facultas dispensandi permittitur (2).

V. Quantum nobis est praecipimus, et in nomine Domini nostri Jesu Christi obsecramus, ne in publicis cauponis, vel domibus privatis fas sit transeuntibus per nostram Civitatem, vel Dioecesim comedere carnes, nec lacticinia sine praedicta dispensatione, vel sine nostra licentia, vel Vicariorum nostrorum Foraneorum in Oppidis.

VI. Jejuniorum tempore, quo vetantur carnes, omnino extra loca deputata eas vendi prohibemus, illud insuper adjicientes, ne laniones easdem publice venales exponant, nec patentes oculis praetereuntium, sed intra tabernam sub poena amissionis ipsarum carnium, et scutorum decem. Quibus etiam poenis subjacebunt ementes, aut emi curantes tam pro se, quam pro aliis sine medicorum attestatione, nostraque licentia, nec non, qui alienam licentiam in suum verterint usum.

VII. Tempus Quadragesimale, cum sit revera acceptabile tempus, itidemque salutis, non solum ad refrenandam carnis concupiscentiam institutum est, sed etiam ad praeparandam animae salutis viam per dignos poenitentiae fructus, ut futura nostrae Redemptionis recolamus mysteria. Ideo tam luctuoso tempore ad Paschae usque Octavam inclusive, nemini cujuscumque gradus, vel conditionis existat, nec die, nec nocte liceat aliquid profanum ducere, comoedias edere, choreas facere, per vias Civitatis, aliorumque locorum cantando incedere, aut sonora pulsando instrumenta, seu aliis locis indulgendo, quae tam lacrymabili tempore, quo instantius orationi, abstinentiae, omnique poenitentiae vacandum est, scandalum quidem

(1) *Bened: XIV. Constit: Libentissime: 24. Junii 1745.*

(2) *Idem Bened. XIV in eadem Constit. Libentissime.*

non leve ingerunt, propter quod publicos ludos, et ea omnia, quae die festo interdicimus in capite de sanctificatione festorum, iterum prohibemus sub iisdem poenis non tam lusoribus, quam spectatoribus, ludosque permittentibus in suis domibus, vel tabernis.

VIII. Postremo omnes sciant jejunium, et abstinentiam a cibis corporalibus ducere, et caetera blandimenta evitare salubrius prodesse, quando etiam mens a culpa jejunat, et cor sursum tantummodo suos elevat affectus (1). Ex adverso autem quid boni Populus Christianus habebit, si ab escis, a nugis, et oblectamentis se abstineat, et interim vitiorum coeno sordescat?

CAPUT OCTAVUM

DE FUNERIBUS, EXEQUIIS, ET SEPULTURIS.

I. Non omne novum, quod ab Ecclesia Catholica omnium fidelium Matre praecipitur, sive alio quoque modo ordinatur, tale semper est, adeo ut nil ab antiquis consuetudinibus desumpserit; Nobis enim, et veneranda ejus doctrina, et pia illius devotio testimonium ostendunt, quidquid extat cum novis, ex veteribus exordiri principiis, atque doctrinis (2). Haec igitur cum sciat, quod sancta, et salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, quaedam pia suffragia ostendit, tanquam signum finis universae carnis, vivis recordandum (3). Nos vero ejusdem Sanctae Matris Ecclesiae monita sectando statuimus in primis, quod fidelis quis piam in communione Ecclesiae quando efflaverit animam, Parochus illius Parœciae, intra cujus fines extiterit defunctus, statim exhiberi curet signum obitus illius lugubri campanae sonitu, quem audientes fideles pro anima defuncti preces ad Deum misericordiarum Patrem fundere valeant, et sic excitati advertant quoque innocentem vitam ducere, vel praevaricantem emendare satagant (4). Verumtamen, si obitus post primam noctis horam contigerit, sonus ad sequentem diem transferatur post Angelicam Salutationem in aurora. Pro parvulis vero festivo sonitu excitentur fideles ad laudes Deo bonitatis Patri, ac sanctae puritatis Amatori persolvendas (5).

II. Antequam defunctus e domo in Ecclesiam efferatur, sit honeste indutus vestibus suo statui, vel potius alicui sodalitio congruentibus, numquam vero veste Religiosa, quamvis persona defuncta id se velle declaraverit (6). Parva Crux aptetur supra pectus inter

(1) *Nicol: Roset de Quadragesima.*
(2) *S: Maximus Episcopus hom: de Sanctorum Natali.*
(3) *Machabeo: Cap: 12:*
(4) *Rituale Rom: Tit: In expiratione.*
(5) *Item Rituale Rom: Tit: de exeq: Parvulor:*
(6) *Decr: Clem: XI. die 9: Janu. 1705.*

manus defuncti, vel saltem manus in modum Crucis aptare studeant. Cadaver loco decenti collocetur, nec permittatur tam domi, quam in Ecclesia absque luminibus, et custodibus manere. Hujus charitatis officium erga mortuos est omnino observandum, quia est veluti in eos, quoad corpus, nostrae ultimae dilectionis effectus, maxime si cadaver propter paupertatem nullam aliam funebrem pompam exigat. Cadavera insuper non incidantur, nec aperiantur quacumque ex causa sine nostra facultate in scriptis ex causis arbitrio nostro necessariis concedenda. Praesbyterorum, Diaconorum, et Subdiaconorum cadavera indui vetantur habitu ullius religionis, vel sacco societatum, sed vestibus suis quotidianis induantur usque ad vestem talarem inclusive. Tum desuper sacro integro vestitu Sacerdotali, Diaconali, vel Subdiaconali, quem sui ordinis ratio postulat, aliorum autem inferioris ordinis Clericorum superpelliceo, et veste talari ornentur, singulorum omnium cum tonsura, et biretis suis (1). In manibus vero Sacerdotum Calix non ponatur, sed Crux parva cum Christi Crucifixi immagine dumtaxat. Parvulorum cadavera tandem honeste ornentur juxta aetatem, et in signum integritatis carnis, et virginitatis, eorum capita coronis de floribus, vel herbis odoriferis adornentur (2) ad praescriptum Ritualis Romani (3), donec domo defuncti efferantur Sacerdotes, vel alii adstantes orationes Deo effundere debent.

III. Ante solis ortum, aut post ejus occasum cadavera non asportentur ad Ecclesiam e domo sine nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia, et nisi ad minus vigesima ab ortu elapsa hora, ac vigesima quarta, quoad illos, qui repentina morte decesserint, sepeliantur. Puerorum vero cadavera post duodecimam ab ortu horam sepulturae tradi poterunt (4). Illi autem, qui violenta morte decesserint, ad Ecclesiam non deferantur, nisi prius Curia, sive nostra, sive laicalis de mortis causa inquisierit. Quod si ministri justitiae plus aequo cunctarentur, cadavera ad Ecclesiam deportentur, et more solito sepeliantur. Decernimus quoad hoc propterea, et prohibemus in Ecclesia hujusmodi cadavera recognosci, multoque minus exhumari posse sub poena scutorum decem, et excommunicationis poena ipso facto incurrenda (5). Quod si accesserit Sacrae Congregationis immunitatis facultas, nobis notitietur, et recognitio Cadaveris extra Ecclesiam, et locum immunem omnino fiat. Cadavera autem sepulturae tradita, vel ossa mortuorum,

(1) *Rituale Rom. de Exequiis.*
(2) *Idem de Exequiis Parvulorum.*
(3) *Idem de Expiratione.*
(4) *Acta Conc: Rom. Pag:* 251.
(5) *Sac. Cong. Immun t. in Macera-ten:* 8. *Augusti* 1645.

nulla ex causa exhumentur, vel alio transferantur, nisi causa per nos, vel Vicarium nostrum Generalem probata, et facultate in scriptis concessa.

IV. Parochi sub praetextu non solutae eleemosinae funeralis non audeant sepulturam diferre, egenorum autem, et miserabilium personarum cadavera gratis tumulentur, adhibitis saltem duobus luminaribus, sumptibus Parochi, nisi ab aliqua pia sodalitate hujus Christianae pietatis officium consueverit exerceri.

V. Nulli competit amoveri cadavera defunctorum e domibus, vel ex alio loco, nisi proprio Parocho, aut illi, cui ab eodem licentia conceditur (1). Per eum semper cadavera aspergantur aqua benedicta, antequam e domibus asportentur, et interim precibus opportunis inchoatur funebris Processio, et hoc servari volumus, etiam si ad Regularium Ecclesias cadavera sint deferenda, nisi Parochus in dicta hora adesse nequiverit; Officium enim super corpus defuncti tum domi, quum per vias ad ipsum Parochum spectat cum Stola (2).

VI. Caveant Parochi, ne pompam funebrem praescribant contra voluntatem Tumulandi, aut Haeredum; Ipse, qui necessario adesse debet ex proprio munere, relinquat rem totam libertati eorumdem (3). Sacerdotes Clerici tam saeculares, quam regulares, itemque confratres sodalitatum ab haeredibus invitati ad funus convenire omnino debent ad Ecclesiam Parochialem defuncti (4) hora intimata; Quando autem Capitulum nostrae Cathedralis Ecclesiae invitatum fuerit ad funus, caeteri omnes invitati cum Parocho in templum Cathedrale convenire debent (5), atque ex eo pompa funebri procedere, quod intelligendum quoque est de Capitulo Collegiatae Ecclesiae Canini. Post campanae funebre signum procedendi, omnes in suo gradu processionaliter, et in silentio defuncti domum adeant; Una tantum praecedat Crux hastata Ecclesiae tumulantis (6) sub qua omnes incedant, nisi Capitulum Ecclesiae Cathedralis in Civitate, et Collegiatae in Terra Canini interveniat; Tunc enim dignior locus dandus est Capitulo, ejusdem que unica Crux erigenda est, nisi in contrarium vigeat consuetudo, Clericus deferat Crucem superpelliceo indutus, et contrarium abusum omnino reprobamus

(1) *Leo X. in Laterani Constit: 22: dum inter 13 Decembris* 1516.
(2) *Sac: Rit. Cong: in Pisaurien: 22. Martii* 1632.
(3) *Sac: Cong: Ep: et Reg: in una Montis Pilosi anno* 1581.
(4) *Sac: Rit. Cong: in Bononien 9. Decembris* 1618.
(5) *Eadem S: Cong: in Esina 29. Januar:* 1681:
(6) *Eadem in Pisaurien 22: Martii* 1632:

in quacumque cadaverum etiam puerorum, nec non pauperum, et miserabilium personarum delatione. Quapropter praecipimus, ut in itinere, dum ad Ecclesiam pergunt, ab aedibus defuncti, pie, ac devoto flebili cantu Psalmos recitent a Rituale Romano praescriptos, servato ordine, prout in Processionibus; Prohibemus vero cognatos, et consanguineos quoscumque sociare funus cum ineptis clamoribus ululantes, aut immoderate acerbos questus mittentes.

VII. Curent Parochi summo studio sacras coeremonias, et ritus a Sancta Romana Ecclesia Catholica probatos servare, uti habetur in Rit: Romano, fidelium exequiis, et quantum fieri poterit, institutum laudabile retineatur, ut, praesente corpore defuncti, Missa pro eo celebretur, antequam sepeliatur.

VIII. Insuper Parochos monemus, ne majorem eleemosinam recipiant pro exequiis, et sepultura exterorum, quam civium, vel incolarum, prout Sac. Cong: Conc. statuit in decr: 28. Maii 1617. emanato (1). Ab ejusdem Sac. Cong. decreto sancitum est viatores, et peregrinos in quacumque Civitatis Paraecia defunctos in Ecclesia Cathedrali tumulandos esse; Sed, ne lis super hoc moveatur, declaramus, quod nomine advenarum, et peregrinorum, seu exterorum illi sunt intelligendi, qui casu morantur in Civitate, et ante mensem suae morae decesserint; Tunc jus est Sacramenta administrandi, ac tumulandi Parocho Ecclesiae Cathedralis; Quod si advena, vel peregrinus aegrotus in mortis agone tempus requirendi Parochum Cathedralis non habuerit; Tunc Parochus quicumque ad id monitus administrare Sacramenta, eique adsistentiam praebere teneatur sine tamen praejudicio jurium Parochi Ecclesiae Cathedralis antedicti. Quod si Parocho Sacramenta administranti compensatio debeatur, nobis erit hoc taxare; Non sunt autem advenae, et exteri, qui domum in hac Civitate duxerint ad habitandum, vel qui huc advenerint studiorum causa in civium domibus privatis, vel ad serviendum alicui, ut mos est; Omnes isti, quamvis e vita decedant ante mensem, ad Parochum illius Paraeciae, in qua morantur, spectant.

IX. Quarta funeralis semper debetur Parocho defuncti, quando cadaver ad aliam Ecclesiam tumulandum transfertur; Quae pars esse debet omnium intorticiorum, et candelarum, quae circa cadaver aptantur, et quae sunt in Altaribus accensae in die funeris (2), vel alia die, ad quam funus diferre contigerit. In funere cujuscumque personae, in quacumque Ecclesia non habeantur exequalia elogia, vel funebres orationes, nisi à Nobis, vel à Vicario nostro Generali fuerint permissae.

(1) *Decr: Sac: Cong. Conc relat: à Lavorio variarum locub: Tit: 2.Cap:10: Num: 7:*

(2) *Conc: Rom: Et Constit: Bened: XIII. quae incipit Romanus Pontifex.*

X. Nullus Ecclesiasticus sive Secularis, sive Regularis per se, aut per alium inducat aliquem ad jurandum, ad vovendum, aut quomodolibet promittendum, ut apud ipsius Ecclesiam eligat sepulchrum, aut jam ibi electum non immutet.

XI. Quoties de sepultura electa, vel de mortuariis emolumentis aliqua oriatur controversia, eam Nos ex officio nostro sine actione juridica compescemus maxime adversus eos, qui malitiose nituntur immutare voluntatem defuncti, aut laudabilem consuetudinem.

XII. Nova sepulchra extrui prohibemus, et eo fortius pavimentum Ecclesiae excavari vetamus sine speciali nostra licentia, vel Vicarii nostri Generalis, et absque solita Benedictione.

XIII. Tria autem sint saltem sepulchra in qualibet Parochiali Ecclesia; Pro Ecclesiasticis scilicet unum, pro laicis alterum, et tertium pro parvulis baptizatis ante septennium defunctis, et ubi quartum fieri possit pro mulieribus, nempe separatis a viris laudabilius esset; Coemeteria quoque in Parochialibus non desint undique muris septa, ac à sordibus quibuscumque, vel paleis, foeno, spinis, vel saxis mundata, nec arbores in eis excrescere permittatur, bene clavibus obserrata, habeant in medio Sanctae Crucis vexillum, quod à transeuntibus videri possit; Ad Coemeteria non transferantur corpora defunctorum, seu eorum ossa, nisi saltem post biennium, à quo fuerunt humata, et hiemali tempore, ne quid inconveniens oriatur.

XIV. Quibus denegata est Ecclesiastica sepultura, prout in Rituale Romano (1), et in sacris Constitutionibus habetur, nemo sub poenis per sacros Canones inflictis, aliisque arbitrio nostro infligendis, in Ecclesia, vel Coemeterio sepelire eos audeat, uti sunt infideles, omnes publici excommunicati ex quocumque capite, qui decesserunt e vita absque ullo contritionis signo (et si dederint) ab Ecclesiastica Censura absolutionem etiam post obitum non reportaverint. Parochi tamen non statim profanae sepulturae eos tradant, praesertim qui sibi dederunt mortem, nobis inconsultis, ut recognoscere possimus, utrum ex iracundia, et desperatione hoc evenerit, cum ex declaratione Bened: XIV. habeatur, quod hujusmodi jam usum rationis deperdiderint; sed si sint exteri, ad recognoscendum, an vere sint Catholici, cadavera illorum, quae

(1) *Rit: Rom: de Exeq: Quibus non licet Et Bened. XIV. Constit: Detestabiliter 10. Novembris 1752.*

ad Ecclesiam non sunt deferenda, sepeliantur in fovea alte effossa in terra non sacra, et valde procul ab Ecclesia. Infantes decedentes absque Baptismate similiter non tumulentur in loco sacro, sed extra prope Ecclesiam aliquo in loco bestiis impervio locentur.

XV. In nostra Ecclesia Cathedrali singulis annis Missa de requiem solemniter cani debet infra Octavam defunctorum, et exequies habeatur pro anima Episcopi hujus Civitatis novissime defuncti (1).

XVI. Et quia aequum est, grata, piaque eos memoria prosequi, qui nobis praefuerunt, in morte Summi Pontificis, et Episcopi solemnes habeantur exequiae in Cathedrali, Collegiata Canini, et Parochialibus Ecclesiis (2). Et praeterea Anniversarium quotannis celebretur pro anima Episcopi ultimo loco defuncti in die ipsius obitus: Aliudque infra Octavam omnium Fidelium defunctorum pro omnibus hujus Dioecesis Episcopis ad mentem Concilii Romani.

XVII. Pia etiam, et religiosa consuetudo, per quam Nostrae Dioecesis Sacerdotes mutuam sibi decedentibus suffragiorum retribuunt vicem, unam pro quolibet ipsorum defuncto Missam celebrantes, diligentissime custodiatur; Missae autem in folio à singulis describantur, quod nobis Vicarii Foranei intra mensem ab habita notitia transmittere teneantur, ut qui Missam omiserint, juliorum trium poenam dare à nobis obstringantur.

(1) *Coeremoniale Episcoporum. Lib. 2. Cap. 36.*

(2) *Concilium Romanum. Tit: 15. Cap. 5.*

PARS SECUNDA
CONSTITUTIONUM SYNODALIUM
CAPUT PRIMUM
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. Sancta sancte sunt tractanda (1). Nil sanctius Sacramentis novae legis: Per ipsa enim summum bonum hominibus donatur, atque sanctitatis thesaurus lucratur, omneque justum, aut sane exorditur, aut reparatur, et quidquid ineptum est, per ea solummodo corroboratur. Quapropter execrandum est ea indigne suscipere, vel irreverenter tractare; Sciant igitur Ministri Sacramentorum, quos sedulo monemus, quomodo esse debeant, ut semper sua possint religiosa Sacra exercere Ministeria (2). Non audeant scientes aliqua culpa praesertim lethali detenti Sacramenta administrare; Conscientiae sinus omnes per Sacramentalem Confessionem emendent; Quod si id omnimode non permittatur in aliquo necessitatis casu, praemittant verae contritionis actum. Itemque suscipientes Sacramenta curent accedere conscientia munda, ne quod in donum, et gratiam datum est, administrantium culpa, aut suscipientium indispositione in praejudicium vertatur, et in damnationem transeat animarum.

II. Hinc Nos Parochos, aliosque animarum Rectores, atque caeteros Ecclesiae Catholicae Ministros alloquimur, eisque praecipimus, ut in Sacramentorum administratione sint fideles, Ritus, et Coeremonias in Rituali Romano deserte praescriptas, et ab Ecclesia statutas omni animi attentione, et devotione observent; Eis nil addere, vel minuere audeant, eo minus formam, vel materiam immutare, quae ad ipsam Sacramentorum substantiam attinet, non confuse, non obscure, non incidendo, vel syllabas elidendo formam ipsorum Sacramentorum pronuncient, sed distincte, et devote, sibi semper illud proponentes, quod agere velint, quidquid Christus Dominus instituit, et Sancta Mater Ecclesia intendit. Avertant nonnullorum reprobatam sententiam in conferendis Sacramentis, qui docent, de valore Sacramenti sufficere opinionem probabilem, relicta tutiore (3). Idcirco selectorum sententias auctorum sibi faciant, easque de proposito teneant, quod est absolute ab omnibus Ecclesiae Ministris praecipue sectandum.

(1) *Conc. Trid: de Sacram:*

(2) *Rit: Rom: de iis, quae in Sacram: administratione servanda sunt.*

(3) *Propos: damnata ab Innoc: XI. Num: 1.*

III. Et cum saepissime, quae sunt munda, quae sancta, et quæ pudica immundis contineantur utensilibus, ex quibus ea tot exordescunt non sine eorum, qui foris sunt, admiratione, et scandalo, adeoque stricte praecipimus vascula, et supellectilia decentia, et mundissima semper habere, superpelliceo, et stola coloris convenientis Sacramentorum Ministros semper indutos esse, dum administrant, nisi ex improviso sint vocati in Sacramentis Baptismi, seu Poenitentiae pro infirmis, vel extremae Unctionis quando periculum est in mora; Praeter casum infirmitatis, et periculi, Sacramenta nonnisi in Ecclesia administrentur; Et si aliqua necessitas urgeat, vel rationabilis causa, non fiat Sacramentorum administratio, nisi Nostra, vel Vicarii Generalis licentia concedatur.

IV. Ad devotionem insuper, et cultum in suscipientium animis excitandum erga Sacramenta, cum semper fieri non possit in actuali administratione eorumdem Sacramentorum, ideo Parochorum erit semper inter Missarum solemnia, et dum Christianam Doctrinam Populum edocent, eis plano sermone pro auditorum captu institutionem, dignitatem, usum, fructus salutares explicare, nec non requisita ad illorum dignam receptionem (1), itemque in animum suscipientium infundere, ut eorum exterior habitus Christianam modestiam, et humilitatem significet; id sciant animarum Rectores tam neccessarium esse ostendendum, quantum haec nostra temporum lacrymabilis corruptio inter non paucas mulieres maximae verecundiae, et modestiae ornatum exulat. Has volumus, ut hi à Sacramentis arceant, tamquam indignas, sicuti viros quoque deferentes arma (2):Largitor bonorum, atque Sacramentorum Auctor, est Deus pacis, et immaculatus Agnus.

V. Ad Sacramentorum administrationem Parochi vocati officium tam grande prae oculis habeant, ac memineant se esse dispensatores Mysteriorum Dei: Quapropter paululum antea orabunt, ut ipsi sancte ministrent, et quibus ea ministrabunt, hi pie, ac devote suscipere possint. Hilari vultu deinde, ac prompto animo accedant, nec verbis, signis, aut alio modo se gravate ostendant ituros; Non habeant personarum acceptationem, sed apud omnes praestent celerrime eorum opera, sive pauper sit, ac plebejus ille, cui ministrandum est, sive dives, ac nobilis (3). Non enim datur personarum acceptatio, aut distinctio apud illum Supremum Sacramentorum Auctorem, qui pro omnibus indistincte Sacramenta instituit.

(1) *In Enciel: Clem: XI. Num:* 1.
(2) *Rit: Rom: de Euch: Edict: Innoc: XI.* 3. *Novembris* 1683.
(3) *S:Carolus de Sacramentorum administratione.*

VI. Insuper, ne quisquam in hac nostra Civitate, ac Dioecesi insurgat Parochus turpis lucri cupidus, et ad omnem simoniae suspicionem effugiendam statuimus, ac decernimus, quod pro Sacramentorum administratione nil absolute petatur, exigatur, aut paciscatur sub quovis titulo, aut praetextu, vel directo, vel indirecto, sub gravioribus poenis a jure statutis, atque aliis arbitrio nostro infligendis (1).

VII. Administratio Sacramentorum cum ad Parochum spectet, ea scilicet, quae sunt illius muneris, nemo ideo Sacerdotum, sive secularium, sive regularium ea administrare valeat (2) absque ejus licentia. Quando autem necessitas urgeat administrandi Sacramenta necessaria infirmis periclitantibus, si Parochus, aut ejus Coadjutor absit, nec licentia sine infirmorum periculo requiri possit, tunc ea a quolibet Sacerdote idoneo ministrari possint. Caveant Parochi, ne in eorum Coadjutores, vel Curatores Sacerdotales eligant, quamvis ad audiendas Sacramentales Confessiones adprobatos, qui praxi Sacramenta rite ministrandi careant, neque isti tamquam imperiti hoc munus exerceant. Nec denique imbecillitatis titulo, vel impotentiae Parochi tam juvenes Sacerdotes in munere Parochiali sibi coadjuvare permittant, nisi experimento constet, illos gravitate, scientia, et morum honestate praeditos esse, ne ipsimet Parochi pro eis ad Deum respondeant, si quid evenerit malum propter hoc suae Plebi patratum; Nos autem, ne simul essemus participes, tanquam pro cunctis Deo rationem stricte reddituri, decernimus, et mandamus eos Sacerdotes, quamvis ad audiendas Sacramentales Confessiones probatos, si trigesimum aetatis non excesserint annum, ad Parochorum coadjuvandum officium minime a Parochis assumi posse, nisi prius de licentia nostra, vel Vicarii nostri Generalis extiterint adprobati sub poena contra eligentes, et electos suspensionis ab officio.

CAPUT SECUNDUM

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

I. Omnium Sacramentorum à Christo Domino, quae sunt instituta, primum quidem est Baptisma; Per ipsum enim deperditam gratiam homines statim acquirunt, ac Coelorum, quos sibi, et nobis post

(1) *Can: 1. Quaest: 1. et tot: titulo de Simonia.*
(2) *Can: interdicimus* 16. *Quaest: 1. Clem: unica de Privileg: Greg: XV. Constit: Inscrutabili* 18.

se aliquando Adam concluserat, pandit ostium (1). Ipsum merito per Apostolum regenerationis lavacrum nominatur (2) utpote omnes humani generis de filiis irae efficiens filios gratiae, dat primum (3) justificationis initium, atque sedentes in tenebris, et umbra mortis post originale peccatum, Deus per Baptismi lavacrum elevat ad admirabile lumen suum; Eorumque nomina sunt proinde in libro vitae (4). Qua de re devote, et reverenter hoc Sacramentum est ministrandum, et pari reverentia, et devotione suscipiendum; Hujus autem Sacramenti maxima necessitas ex Salvatoris verbis satis demonstratur, quando ipsemet dixit = Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest intrare in Regnum Dei. Haec necessitas profecto in infantibus signanter apparet, quibus nulla praeter Baptismum salus promittitur, et alioquin tenerae ipsorum aetati innumera propemodum imminent pericula; Quapropter sollicitam requirimus in parentibus providentiam, ut suos infantes curent quam citissime ad Ecclesiam deferendos, ibique tingendos sancto regenerationis lavacro. Ideo monemus eosdem cujuscumque gradus, et conditionis sint, ne eorum infantium, ultra tertium à nativitate diem, Baptismum differant sub quovis praetextu, quin immo citius quoque, si adsit probabile mortis periculum; Quod si cogente vera, et absoluta necessitate, Baptismus fuerit domi collatus, quamprimum in Ecclesia Baptismali super baptizatum suppleantur coeremoniae (5). Ut vero, venerabilis antiquus Ecclesiae usus baptizandi solemniter in Sabatho Sancto post aquae benedictionem, quoad fieri potest, religiose servetur, per octo dies ante, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur, uti expresse habetur in Coeremoniali Episcoporum (6).

II. Baptismus non conferatur ante solis ortum, aut post occasum illius, nec à quolibet Sacerdote, sed à Parocho, nisi ipse alium deputaverit, nec alibi, quam in Ecclesiis baptismalibus, nisi secus, ut innuimus, necessitas urgeat, et cum per hoc domi accelerandum sit Baptisma, absente Parocho, omnis homo quicumque sit, sive Vir, sive Mulier, vel Clericus, vel Laicus potest ibi conferre Baptismum, seu alio quocumque loco, servato tamen in hujusmodi angustiis ordine, ut vir mulierem, laicum Clericus praecedat, nisi forte persona minus digna sit promptior in tali perículo, aut melius Baptismi formam callere, vel id requireret servandus pudor in Matre (1). Parentes si deficiant, extranei ne morentur infantulos periclitantes baptizare. In similibus circumstantiis sciant non se contrahere spiritualem cognationem, quae Matrimonii usum impediat.

III. Et cum saepe contingat Baptismum ab obstetricibus administrari, praesertim, dum ex materno utero infans egreditur, ideo valde necessarium nobis videtur, quod serio hae mulieres probentur: Quapropter ipsae examinentur de ratione valide baptizandi coram Nobis, vel Vicario nostro Generali in Civitate; In Dioecesi coram Vicario Foraneo; Æquum enim est, ut sicut nulla mulier ad obstreticandi officium admittatur, quin prius à medicis de corporis salute sollicitis vocetur ad examen; Eo fortius Nos aeternae saluti animarum intenti, nullam absolute ad hoc exercendum ministerium admittemus, nisi prius de norma valide baptizandi edoceatur. Monemus quoque Parochos persaepe hoc examen repetere, et saltem semel in anno: Experimento namque compertum est, plures Obstetrices aliquid praesertim in forma variare, unde invalidum, aut certe dubium redditur Baptisma; Quod si incapaces eas deprehendant, ad Nos, aut ad nostrum Vicarium Generalem deferant, et interim eorumdem Parochorum conscientiam oneramus pro opportuna vigilantia in re tam gravissimi momenti.

IV. Qui domi, aut alibi est baptizatus infans, iterum in Ecclesia sub conditione non baptizatur, nisi, interrogatis baptizante, et testibus adstantibus, probabilis saltem oriatur suspicio de invaliditate Baptismi prima vice collati (2). Similis diligentissima cautio adhibeatur quoad infantes expositos, ne iteretur Baptismus, si schedulam habeant de collato Baptismate testificantem, et quidem scriptam per personam satis notam, quod constare possit de peritia, et fide ipsius; Quando non gestant schedulam, aut à nemine subscriptam, vel à persona incognita firmatam, Parochi iisdem pueris sub conditione Baptismum ministrent, et, si quod nomen exaratum sit in schedula, illud imponat (3); quod si solemne Baptisma schedula non testificet esse collatum, nempe quoad coeremonias, istae in Ecclesia suppleantur solito more.

V. Munus e sacro fonte levandi infantes maximum quidem est; Ex eo enim cognationem Spiritualem contrahunt Patrini, et Matrinae, et quamvis id aliis committant, seu per procuratorem exerceant,

(1) *S. Greg: Nazianz: in Oct: Epiph:*
(2) *Ap: 2. ad titum 3. ad Ephes:*
(3) *Conc: Trid: Sess: 5. de pec: origin.*
(4) *Joannes Capite 3.*
(5) *Ritual Rom: de Baptisma.*
(6) *Coerem. Episcop. Lib: 2. C: 27. §. 180.*

(1) *Can. in necessit. cum sequent. apud Thomam, Distinct. 4.*
(2) *Cong: Conc: in necessit: cum sequen apud Divum Thomam dispat: 4.*
(3) *Conc. Trid: Sess. 24. de Reform: et Sac: Cong: Concilii Archiospitali Sancti Spiritus in Sazia 15. Januarii 1724.*

non commissi, non procuratores, sed ipsi committentes sciant, se spiritualem cognationem contrahere, scilicet inter se, et baptizatum, et inter se, et baptizati genitores, et inter baptizantem, et baptizatum; Nulla proinde inter Patrinum, et Matrinam, ut aliqui false tenent, spiritualis nascitur cognatio (1); excepto casu necessitatis, Baptismi Sacramentum administretur semper cum Patrino, et Matrina, vel cum aliquo eorumdem. Nam a munere Patrinorum evenit onus, et obligatio dirigendi infantes in viam salutis eternae saltem in subsidium, vel deficientiam parentum carnalium. Ab hujusmodi officio arceantur publice excomunicati, infames, criminosi, qui non susceperint in Paschate Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae, nec non rudimenta fidei nescientes; Insuper, qui nondum aetatem pubertatis non attigerint, qui non fuerint confirmati, ignoti, ac Regulares ex jure ipso communi; Quam prohibitionem extendimus ad Moniales, et ad Clericos in Sacris Ordinibus initiatos sine nostra speciali licentia (2). Moneant quoque Parochi parentes infantis, ne in lecto secum ipsis, vel nutrices parvulum habeant, usque dum expleverit primum aetatis annum propter periculum oppressionis, sed diligenter eum custodiant.

VI. Statimac Sacramentum Baptismi peractum fuerit, hoc describatur ad formam traditam a Rituali Romano in libro ad hoc unice compacto; Quem Parochi teneant sub diligenti custodia. In eodem libro describantur etiam Baptismus domi collatus, et suppletae in Ecclesia coeremoniae; Item et Baptismus expositorum facta mentione de schedula, si qua in iis reperta fuerit. Parochi in hac descriptione caveant, ne sint deficientes ultra diem, et methodum a Rituali praescriptam, nec librum inordinate retineant. Sacrae quoque regenerationis fons, qui saltem sit solidus (si lapideus esse non poterit) habeat ostiolum ligneum clave munitum; Sacra olea in vasis saltem stamneis ibi asserventur, nec non aqua baptismalis in vaso mundo. Item lintei ad tergendum baptizatorum capita. At non longe distet Sacrarium, in quod aqua illa, qua caput infantis ablutum fuit, statim projiciatur, aliae similiter aquae, quibus purificatoria, corporalia, et vasa sacra purgantur, idem in sacrarium mittantur (3). In vertice fontis Sancti Joannis Christum baptizantis sistat immago (4).

(1) *Cong: Conc: in Tuder:* 16. *Martii* 1630.
(2) *Can: non licet: Can: Monachi Rit. Rom. de Patrinis.*
(3) *Conc. Mediolanense.*
(4) *Rituale Romanum de Sacram. Baptismi.*

VII. Baptismus Fidelium adultorum, si in hac nostra Civitate, et Dioecesi baptizari postulaverint, extra necessitatis periculum, ad Nos deferatur; Horum enim fides nimis est probanda, atque serio, et salutaribus monitis confirmanda.

VIII Parochi nil exigant pro Benedictione mulieribus impertienda, quae Beatissimae Virginis exemplum sectantes laudabili consuetudine post partum se conferunt ad Ecclesiam gratias Deo acturae, ut purificentur per salutarem Benedictionem.

IX. Ad Solemnem Benedictionem Fontis Baptismalis, quam Parochi non ommittant tam Sabatho Sancto, quam Sabatho Pentecostes, volumus, decernimus, et mandamus omnes Dignitates, Canonicos, Sacerdotes, et Clericos adsistere, et adesse, qui de jure, vel consuetudine tenentur, quamvis Ecclesia sit simpliciter Parochialis.

X. Tandem, ne Populus Christianus ignorantia laboret circa ea, quae sunt scitu necessaria in administratione hujus Sacramenti, nempe Baptismi, curent Parochi semper in Doctrina Christiana tradenda hanc edocere methodum baptizandi in casu necessitatis, explicando, qualis esse debeat materia hujus Sacramenti, qualis forma, et qualis intentio.

CAPUT TERTIUM

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

I. Homines, super quos Gratia Dei descendit ab alto, et de inimicis filios Dei, et cohaeredes Christi mirabiliter effecit, eo statim in viros perfectos, et in mensuram aetatis plenitudinis Christi (1) crescere nequeunt (postquam per baptismales undas extiterunt quasi geniti infantes) nisi per Confirmationem. Fidem in regenerationis lavacro acceperunt; Eam, dum Sacro Chrismate liniuntur, confirmant: ab eo vires expetunt, ut fideles portent nomen illius, qui eos milites ordinavit ad salutem coram omnibus, adversusque Principes Potestatum tenebrarum, quoniam etiam ad colluctandum dat robur, et fert auxilium, ne tentationis tempore recedant, aut in agone terreantur: Quapropter hoc Sacramentum virtutis veneratione pariter, ac devotione maxima est suscipiendum.

II. Cum ergo Nos per litteras, et nostro munere, sive in Civitate, sive in Dioecesi tempus Confirmationis administrandi Sacramentum statuerimus; Parochi, in quorum Ecclesiis hoc peracturi erimus, studeant Populo ejusdem vim, dignitatem, virtutem, necessita-

(1) *Ap: ad Ephesios* 4.

tem, ritus, mysteria, et uberrimos fructus declarare; Augmentum gratiae, et Septiformis Spiritus Sancti plenitudinem, quam confirmandi accepturi sunt in hoc Sacramento, exponere; Curent pueros, ac puellas item instruere de debitis dispositionibus pro receptione tanti Sacramenti (1), ac illis, quos post examen circa Fidei rudimenta noverint esse idoneos, tradant schedulam, in qua nomen, aetas, et Parochia sint descripta cum nominibus, cognominibus Patris, et Matris, ac Patrini, vel Matrinae. In actu administrationis Sacramenti Parochi easdem schedulas colligant, seu colligi mittant, prius marum, deinde foeminarum, et diligenter, ac sollicite in librum ad hoc compactum inferant, ubi describantur nomen Episcopi confirmantis, dies, annus, et locus, prout in fine Ritualis Romani habetur, si secus quisque fecerit, poena gravi punietur.

III. Congruum, et decens utique est, quod pro susceptione hujus Sacramenti aetas non sit nimis propera, vel nimis adulta (2). Ideo nullus Sacro Chrismate inungendus accedat, si annum suae aetatis septimum non attigerit, nisi aliter nobis aliquo in casu visum fuerit, aut periculosa laboret infirmitate, et tunc, si periculum mortis immineat, etiam private, et quoties opus fuerit, ubi manebimus, hoc Confirmationis Sacramentum eis sollicite administrabimus (3). Si cui vero dubium incidat, an hoc Sacramentum aliquando perceperit, hoc prius Nobis significetur, ut re mature perpensa, quid agendum sit, dispiciamus. Quapropter, ne hujusmodi dubitatio prorsus oriatur, quae ut plurimum de iis, qui tam propere sunt confirmati, vel in mortis periculo nasci solet, volumus, ut Parentes, et Consanguinei eosdem certiores reddant de jam recepto Confirmationis Sacramento, postquam ad usum rationis pervenerint. Qui autem post duodecimum aetatis annum non fuerit confirmatus, volumus, ut ad nos referre teneantur Parochi.

IV. Die, et hora a Nobis statutis, confirmandi ad Ecclesiam accedant modeste vultu, capillis non sordide neglectis, sed bene compositis; Et foeminae capite honeste velato, adulti se praeparent etiam quoad animam, ut, si ea fuerit aliqua mortalis culpae labe inquinata, illam per Sacramentalem Confessionem expient (4), Matrinae autem, seu mulieres quaecumque infantulis confirmandis adstantes modeste se componere satagant, ne devotionis loco tamquam potius saltaturae, scandalum non leve infigant ani-

(1) *Catechis: Rom: Par: 2: de Confirmat:*
(2) *Idem Catechism: Rom: eodem loco.*
(3) *Bened: XIV: de Synod: Dioeces: Lib: 7: Cap: 10. N: 6. 7. 8.*
(4) *Conc: Rom: Tit: 26: Cap: 4.*

mis, adeoque spectantibus Angelis Spiritum Sanctum contristent; Quod si aliqua taliter ornata, et immodeste induta comparuerit, Nos eam arceri mandamus, et elongari ab adsistentia confirmandae puellae, et ab officio Matrinae, nec impunitam ejus culpam ommittemus; Schedulam secum habeant à Parocho scriptam, alias non admittantur. Vittam quoque lineam mundam, vel sericam deferant, cum qua ligetur caput, et ea, qua decet ad Sanctuarium Dei, et ad Sacramentum veneratione, manibus junctis consistant confirmandi. Postquam Sacramentum collatum fuerit, statim Sacerdos gossipio frontem abstergat, eamque vitta liget, quae non deponatur, nisi Sacrum Chrisma perfecte siccatum sit. Gossipium autem in fine igne comburatur, et cineres in Sacrarium projiciantur; Et quoniam, non sine animi nostri moerore, experimento constat Sacrae Confirmationis tempore a multis Templum Sanctum Dei profanari risu, inanibus verbis, atque actibus; Ideo monemus omnes adstantes, ne venerabilem actionem perturbent, sed silentium observent, ac paventes ad Sanctuarium Dei piis precibus detineantur.

V. Sciant praeterea singuli confirmandi, quod necesse est eos ab initio in templo consistere pro secura Sacramenti validitate, antequam Nos manus sublevemus ad invocandum super illos Spiritum Sanctum, ejusdemque virtutem de Coelo implorandum; Similiter confirmatorum nullus ab Ecclesia discedat, nisi, functione completa, Pontificalem acceperit Benedictionem.

VI. Caveant Parochi, ne aliquem alterius Dioecesis sub quolibet praetextu exhibeant confirmandum, nisi de nostra licentia, neque advenas, peregrinos, vagos, et illos, de quorum Confirmatione recepta aliquid dubii insurgat. Si quis Parochus e contra attentare praesumpserit, luet poenam arbitrio nostro infligendam.

VII. Curent insuper Rectores animarum, ut Patrini pro maribus, et Matrinae pro foeminis adsciscantur, quibus insunt dotes requisitae pro illis, qui adsistunt in Sacramentis Baptismi (1), ut unus assumatur pro mare, et una pro foemina, et ut saltem natu majores singulis ejusdem sexus (2). Nullus non confirmatus potest esse Patrinus, et si fuerit (3) non contrahit cognationem spiritualem, et qui fuerit Patrinus in Baptismate, non potest esse in Confirmatione ejusdem subjecti.

(1) *Rituale Romanum de Sacram: Baptismi.*
(2) *Bened: XIV: Institutione 6.*
(3) *Sac: Congr: Concilii 13: Junii 1654.*

VIII. Tandem, ut recte, et mature omnes excogitent, quid sit actio patrocinandi confirmandos, dicimus, et iterum commemoramus, prout de Patrinis in Baptismate sumus loquuti, hos scilicet teneri in defectu Parentum confirmatos edocere (1) ea, quae fidem nostram solidare valeant, atque firmiores reddere in lege Christiani, cujus milites effecti sunt. Qua de re nullus Patrinus, vel Matrina praesentet, nisi unum, aut duos, et non plures, nisi de expressa licentia Nostra (2). Pater, et Mater, Maritus, et Uxor ab hoc officio Patrinorum prorsus excluduntur propter cognationem spiritualem, quae in Genitoribus Conjugibus retrahit à petendo debitum, et in Patrinis, aut Matrinis matrimonium contrahendum impedit, et jam contractum dirimit cum confirmato, ejusque Patre, et Matre (3).

CAPUT QUARTUM

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

I. SUprema Charitatis victima, et inexhausta amoris origo cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, antequam esset transiturus de hoc ad Patrem, in fine dilexit eos (4) Christus, scilicet Redemptor noster; Ipse namque panis vivus, qui de Coelo descendit in supremae nocte Coenae Sacratissimum Eucharistiae Sacramentum amoris impetu erga nos extuans instituit, ut hoc manducantes vivamus in aeternum (5). Propter quod in societate Sanctorum, hoc est in sua se reliquit Ecclesia, ubi est vera pax, et unitas perfecta usque ad seculi consumationem duratura, atque in tam admirabili Sacramento futurae gloriae nobis pignus datur: Haec namque immensae Divinae Largitatis beneficia, per quae Deus noster adest nobis, exigunt, ut omni pastorali sollicitudine procuremus tam eximii erga nos amoris Sanctissimum pignus fide firmissime ab omnibus credi, religiosissima veneratione coli, reverentia maxima tractari, et summo demum asservari decore.

II. Itaque Sanctorum Canonum, Conciliorumque vestigiis inhærentes statuimus in primis, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus (6) quamvis pauperibus (7), atque in Regularibus (8) etiam Sanctimonialium, minime vero aliis in Ecclesiis, nisi ex concessione Apostolica, Venerabile Sacramentum servari debeat in Altari ornatissimo cum omni decentia, et reverentia maxima; Et cum nobilius, quam caetera Altaria, ut plurimum videatur Altare majus, adeoque in eo regulariter tanquam digniore illud est asservandum, excepto Altare majore Ecclesiae Cathedralis propter functiones Pontificales; Umbella desuper immineat, nec non anteriori parte habeat sepimentum lapideum, aut ferreum, vel saltem ligneum pro communione fidelibus ministranda, ne ipsi intus ad gradus Altaris accedant, quod indecens est, cum eo in loco Sacerdos dumtaxat, et Ministri consistant.

(1) *Can: in Catechis: 10: de Consec: Distinct: 4.*
(2) *Can: Non plures: Cod: Cit:*
(3) *Conc: Trid: Cap: 2: de Reform. Matrimonii.*
(4) *Joannes 13.*
(5) *Idem Cap: 6.*
(6) *S: Congr: Ep: in Lucen: 12: Febr: 1579.*
(7) *Conc: Trid: Cap: 57: de Sent: Excom.*
(8) *Conc: Trid: Sess: 25: Cap: 10: de Regul: et Monial.*

III. Tabernaculum sit eleganter constructum, in quo panis Eucharisticus collocatur, ex ligno, vel ex aliqua nobiliori materia, decoratum quoque sit decenter ab extrinseco, vel ex auro, vel ex aliis ornamentis; Sericum quoque habeat conopoeum coloris pro tempore, quo Ecclesia utitur; Ab intrinseco sit circumvestitum tegumentis sericis albi coloris, et in planitie habeat Corporale mundissimum; Firmissima sera erit in ejus ostiolo, quod aperiatur, claudaturque clave argentea, vel auro linita cum flosculis ab ea pendentibus, et hanc Parochi, vel alii Sacerdotes, ad quos attinet, diligentissime custodiant, et curent, ut mundities undique resplendeat; Quod si Tabernaculum Moysis, in quo manna servabatur, tanquam figura hujus Sacramenti, tam diligenter, tam ornate, tam munde custodiebant in deserto Sacerdotes, et Levitae, eo magis Tabernaculum hoc est custodiendum, rite ornandum, et a sorde tuendum, in quo haud manna, sed panis de Coelo verus, non figura, sed figuratus, Unigenitus Filius Dei, Agnus immaculatus includitur; Nil aliud prorsus in eo continetur praeter panem Angelorum, adeoque cavendum, ne super illud exponantur Reliquiae Sanctorum; Ipsi enim non supra, veruntamen sunt ante trhonum ejus (1) in regione vivorum.

IV. Duae Sacrae Pixides in planitie Tabernaculi semper habeantur, quae sint argenteae, et intus auro illitae, et cum suis cooperculis quaeque conopoeolis albis sericis superindutae. In horum una, scilicet majore, conserventur Sacrae particulae, hiemali tempore singulis quindecim, aestivo autem octo diebus mutandae, ne ingratum odorem contrahant Sacrae species, aut ex protracta reservatione corrumpantur (2). In altera vero minore Pixide nullae sacrae Hostiae, seu particulae asserventur, sed in ea tum collocentur, quum ad infirmos Sanctissimum Viaticum erit deferendum: Haec vero

(1) *Sac: Cong: Episcop: 3: Martii 1593.*
(2) *Sac: Cong: Episcop: 5: Aprilis 1573.*

non erit necessaria, si habeatur alia Pixidula, in qua bene clausa, et serico sacculo inclusa, nec non ad collum Sacerdotis appensa, nocturno tempore, vel ad loca magis distantia, vel aspera comodius, et absque periculo eversionis, si forsitan in via caderet ipse Sacerdos, Sacramentum deferri possit; Nunquam vero desint Sacrae particulae in majori Pixide, etiam quando ad infirmos Eucharisticum Sacramentum defertur. Itidem in qualibet Ecclesia Parochiali habeatur Ostensorium congruae amplitudinis, quod, si fieri poterit, sit argenteum, aut saltem e materia erosa deauratum, atque ex utraque parte crystallo lucida munitum cum lunula argentea undique deaurata pro Expositionibus, aut Processionibus Sanctissimi Sacramenti.

V. In expositionibus Sanctissimi Sacramenti publicae adorationi fidelium, tanquam antiquissimus usus, et religiosus, debent decentissime ornari templa, sacella, et altaria, quantum commode à conditione locorum permittatur; Congruum quoque est, ut Icon Altaris, in quo fit expositio Sacramenti, velo tegatur, Sacrae Imagines, Reliquiae Sanctorum, vel eorum Statuae non est fas ibi, ut exponantur. Ante solem Justitiae, et Patris splendorem in Sede Majestatis suae in terris, ubi etiam invisibiliter omnis militia Coelestis suos emanat amoris radios ardeant semper viginti cerea lumina ad minus (1). Sacratissimum hoc Sacramentum sic expositum non est relinquendum absque publica Ecclesiasticorum adoratione, ideo praecipimus, et mandamus, quando non conveniant collegialiter Capitulum, aut caeteri Ecclesiastici, semper unus Sacerdos superpelliceo, et stola indutus, vel saltem Clericus, ut genuflexus ante Altare adsistat orando, alias deponatur Venerabile Sacramentum in Tabernaculo; Confratres insuper saccis sodalitiis induti, genuflexi extra presbyterium duo saltem in silentio pariter orent; Nullae Missae celebrari debent in Altari, ubi expositum est Sacramentum, nec privatae, nec solemnes praeter Octavam Sanctissimi Corporis Christi, et Missam expositionis, et repositionis. Quando eo exposito Missae celebrantur aliis in Altaribus, pauci tantum dentur ictus pro signo in exitu celebrantis e Sacrario, ad Elevationem utriusque speciei non pulsatur campanula; Cadavera defunctorum non detineantur in Ecclesia, neque officia, aut Missae de Requiem super eis fiant (2), sed solum celebrentur Missae a rubrica descriptae, et assignatae (3).

(1) *Inst: de mandato Clem: XII.* 1. *Septembris* 1730.
(2) *Sac: Rituum Congreg:* 2: *Decembris* 1684.
(3) *Bened: XIV. Lit: Encicl:* 1: *Januarii* 1748.

VI. Cum bacchanaliorum tempore Populus stulte agit, et in profanarum gentium ritus, ac mores e salutis vita declinando degeneret, ad implorandam a Deo misericordiam, praecipimus, ut in Ecclesiis majoribus, nempe in hac nostra Cathedrali, in Dioecesi, in Collegiata, aliisque Ecclesiis Matricibus Sacratissimum Ecclesiae Sacramentum publico cultui per triduum solemniter exponatur, et singulis diebus Populus Benedictionem recipiat, nempe Septuagesimae, Saxagesimae, et Quinquagesimae hebdomadibus, aut tribus omnibus; Hinc Parochi antea annuncient Plenariam Indulgentiam concessam a Benedicto XIV. omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, qui rite dispositi, poenitentia praemissa, et Eucharistico pane refecti, quotidie Augustissimum Christi Corpus expositum visitaverint Deum orantes ad mentem Ecclesiae. Insuper Summus Pontifex Clemens XIII. hanc Plenariam Indulgentiam extendit ad quamcumque Ecclesiam, ubi fiat expositio die jovis hebdomadae Sexagesimae (1).

VII. Ut opportunius, et decentius cultus exhibeatur a fidelibus ea maxima veneratione huic Augustissimo Sacramento, prohibemus fieri expositiones extraordinarias etiam in Regularium Ecclesiis absque licentia Nostra, vel Vicarii nostri Generalis (2) sine publica causa non concedenda; Quod si ex privata causa expositionem fieri oporteret, Sanctissimum Sacramentum non in Ostensorio extrahatur, at aperto tantummodo Ostiolo Tabernaculi in Pixide velata prope idem Ostiolum, et saltem sex lumina cerea sint accensa, cum adsistentia ad minus Sacerdotis unius superpelliceo, et stola induti, et sic exhibeatur publicae adorationi.

VIII. Ante Altare Sanctissimi Sacramenti die, noctuque lampas ardeat in signum reverentiae, et amoris, quo fideles extuari debent erga ineffabile divinae Charitatis mysterium; si commode fieri poterit, lampas non a latere, neque in choro, sed coram e regione ponatur, et loco tuto, ne quis ex olei fortasse distillatione exordesci possit (3).

IX. In administratione Sanctissimae Eucharistiae Sacerdos servet ordinem, qui est in Rituali Romano praescriptus, sed in Domino ante omnia monemus, ne sit ipse aliqua lethali culpa pollutus, dum rem tam sacram, tam divinam pertractat, et impuris manibus immaculatum Agnum porrigere fidelibus vereatur. Quando in Missa est

(1) *Clem: XIII. Decr: S: Cong: Indulgentiae* 23. *Julii* 1769.
(2) *S: Cong: Ep:* 1602. *Et Can: in Neapol:* 17. *Aug.* 1630.
(3) *Conc: Mediol:* 1. *parte* 2. *S: Cong: In Urbevet:* 21. *Martii* 1795.

administranda, sive per modum Sacrificii cum Sacris particulis in ea consecratis, sive per modum Sacramenti cum illis jam praeconsecratis, sciat hoc agere post Consumationem immediate (1), nisi ex aliqua causa rationabili post Missam protrahatur. In Missis Defunctorum administrari potest non per modum Sacramenti extrahendo Pixidem e Tabernaculo: hoc vetitum est in paramentis nigris (2). Nocturno tempore caveant Sacerdotes omnes hoc Sacramentum administrare, idque est etiam prohibitum nocte Nativitatis Domini (3). Tempus praescriptum est ab aurora, usque ad meridiem; Si quis contravenerit ultra poenam scuti unius, aliis quoque ex arbitrio punietur.

X. Curent Parochi saltem semel in mense, et quolibet die festo Plebem sibi creditam edocere ubertimos fructus tanti Sacramenti, eamque monitam reddere, ne quisquam ad sacram Mensam accedere praesumat, nisi prius Corpus Dominicum discernat, ac se ipsum probet. Et hoc praestare innuat Sacramentalem Confessionem, si anima puritatem perdiderat: Cui mens quoque accedat in Deum ipsum elata, ac se praeferre in corporis munditie, ut jejunium a media nocte servet, atque in humilitate, et verecundia se componat; E contra annuncient, quod accedens ad manducandum in Mensa Domini indigne judicium sibi manducat, hoc est mortem pro vita, venenum pro salute, vindictam pro misericordia; praedicent quoque hunc panem Angelicum, qui fit panis hominum frequentius sumere, praemissa Sacramentali Confessione. Sed quoad hoc caveant Confessarii, ne praetextu vitae innocentiae suorum Poenitentium, permittant eos sine Confessione Sacramentali fere quotidie Communionem sumere; Hoc esse potest utique secretae praesumptionis origo, et humanae superbiae fomentum; unde ad recte in re tam maxime agendum, servent decretum de quotidiana communione ab Innocentio XI. approbatum.

XI. Sciant Parochi praeterea non omnes ad Mensam Domini indistincte esse admittendos, excludendi enim sunt publice excomunicati, interdicti, et manifesti infames, ut Meretrices, Concubinarii, Foeneratores, Magi, Sortilegi, Blasphemi, aliique hujus generis, publici peccatores, nisi certo constet de eorum poenitentia, et publico scandalo prius satisfecerint, amentes quoque, et Daemoniaci, si nulla habeant lucida temporis intervalla, quibus absit omne

(1) *Gerard: Exposit: Juris Pontif: Parte 2.*
(2) *Sac: Rituum Congreg: in Aquen: 2. Septembris 1741. ad quartum dubium.*
(3) *Sac: Cong: Cong: cum ad aures 12. Februar: 1679:*

irreverentiae periculum. Item viri cum armis, et mulieres illae, quae humeris, pectore, et capite detectis, atque lascivo ornamento linitae tanquam ad profanum convivium accedunt ad Mensam Domini: Hae lacrymis, et planctu dignae sunt, quoniam sic incedentes etiam Angelos perturbant (1).

XII. Animadvertant Parochi, quod omnes pueri, et puellae prima vice ad Communionem admittendi ab ipsis approbari debent. Ipsi eos solerter paterna charitate instruant, et curent, ne prima Communio ultra decimum quartum aetatis annum differatur. Quos idoneos compererint in sua Paraecia, illos ad sacram Communionem omnes simul separatim ab aliis, et mares a foeminis admittant, vel in hebdomada majore, vel infra Octavam Paschae, peracta Communione, et gratiarum actione, devota ad eosdem exhortatione per se, vel per alium Sacerdotem pium habita, ad divinum amorem eosdem magis excitent, ac magis.

XIII. Praecipitur omnibus nostrae Civitatis, et Dioecesis fidelibus, ut singuli Paschali tempore Communionem sumant in propria Ecclesia de manu Parochi, vel deputati ab eodem (2), Sacerdotibus tantum celebrantibus exceptis, et iis, qui de Nostra, vel Vicarii Generalis licentia, aut proprii Parochi in scriptis alibi sumpserint. Fideles ideo alienae Parochiae ad suos Parochos remittantur; Quod si Communionem sumant alibi absque licentia, quam in propria Parochia, etiam in nostra Cathedrali, nisi de manibus nostris ad satisfactionem praecepti satis non esse declaramus (3). Quod si quis a Parochia eo tempore abfuerit, intra octo dies post reditum in eadem communicari teneatur sub poenis statutis contra non communicantes (4); Nisi praecepti in alia Ecclesia adimpleti attestationem attulerit; Cui an fides sit praestanda, nec ne, Parochus, perpensis personarum qualitatibus, pro prudentia sua, atque conscientia judicabit.

XIV. Peregrinis, et advenis, certumque domicilium non habentibus in hac nostra Civitate Cathedralem Ecclesiam per Dioecesis Oppida Matricem deputamus ad adimplendum Paschalis Communionis praeceptum.

XV. Tempus pro satisfactione Paschalis praecepti statutum est infra Hebdomadam Sanctam, vel infra Octavam Paschae Resurrectionis,

(1) *S. Carolus Concil. Mediol. 4. Tit. Quae ad Poeniten.*
(2) *Idem Conc. Mediol. 2. Tit. 1. Bened. XIV. Instit. 55.*
(3) *Innoc. XI. 5. Febru. 1682. Bened. XIV. Instit. 18. N. 11. 12.*
(4) *Idem Bened. XIV. Numero 3.*

prout declaravit Eugenius Quartus in Constitutione vigesima, quae incipit *Fide digna*. Quapropter omnes, qui tale praeceptum negligunt, sciant, se viventes ab ingressu Ecclesiae arcendos, et morientes Christiana privandos sepultura; Immo si admoniti per longum tempus in sua persiterint contumacia obstinati, tanquam de haeresi suspectos habere poterimus; Nihilominus nos mitius agere volentes, Parochis facultatem damus, ut praedictis contumacibus, qui sine rationabili causa non communicarunt in Paschate, tempus implendi praeceptum protrahant usque ad Octavam Pentecostes, atque, ut id omnibus contumacibus (si qui sunt) innotescat, Parochus in Dominicis post Dominicam in Albis, generaliter suppressis nominibus, moneat omnes inter Missarum Solemnia, propositis poenis, quas Ecclesia ipsis comminatur. Post Festum Trinitatis, si nonnulli adhuc animum obstinaverint contra praeceptum Paschale, Parochi sub poenis arbitrio nostro infligendis eorum nomina ad Nos deferant, aut ad Vicarium nostrum Generalem, eisque Nos aliquod insuper temporis intervallum indulgebimus ad satisfaciendum praecepto. Caeterum, si ne tunc quidem paruerint, ipsos carceris poena damnabimus, et eorum nomina ad Ecclesiae Parochialis januam affigi mandabimus.

XVI. Insuper feria quinta in Coena Domini Sacerdotes omnes cum stolis, et Clerus universus in Missa Solemni Communionem accipiant, nisi aliquis justo impedimento absens sit (1). Clerici vero infra annum, tanquam in sortem Domini vocati, et ad Altaris ministerium destinati ad Sacratam Mensam accedant; Si in minoribus Ordinibus constituti, saltem Dominica tertia cujuslibet Mensis in Ecclesia Matrice communicent. Quod nisi huic praecepto authentica attestatione paruisse probaverint, noverint, se ad Ordines Superiores non ascensuros: Diaconi, et Subdiaconi etiam singulis diebus Dominicis, et Solemnibus, dum Altari ministrant, congruum est, ut Corpus Dominicum sumant.

XVII. Aegrotis etiam in Paschate Communio afferatur, et ministretur, idque ipsum praestetur detentis in carceribus a Parocho, in cujus Pareciae finibus carceres siti reperiuntur.

XVIII. Tandem, cum Sacratissimum Viaticum ad aliquem infirmum sit deferendum, curet Parochus eum disponere ad id digne recipiendum, ut hoc Sacratissimo pane roboratus validius ascendat usque ad montem Dei; Et hoc est quoque praeceptum infirmis pane vitae aeternae per modum Viatici; Ideoque Parochi visitent infir-

(1) *Sac. Rituum Cong.* 13. *Septembris* 1662. *Item eadem* 12. *Septemb.* 1706. *Et Constit. Innoc. XII. Incipit cum anno.*

mos suae Parochiae gravi morbo laborantes etiam non vocati, et curent, ne aliquis decedat ex hac vita propter eorum incuriam sine Viatico. Quando quis infirmus Communionem recepit per modum Viatici, et convaluit, et rursus graviter infirmatur, non sufficit, quod jam accepisset Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum alia vice, sed iterum post aliquod tempus Sanctissimum Sacramentum ministrari debet (1). Etiam pueris in periculo ab infirmitate constitutis (2), quos Parochi capaces noverint per eorum examen, quamvis antea nunquam receperint, volumus, ut Sacrum Viaticum praebeant; Ad aegrotos quoque, et si non periclitantes, sed longa, et habituali infirmitate detentos, atque ad Ecclesiam ire impeditos maxime, si sacram frequentaverint Communionem, Parochi saepius infra annum, (et praesertim circa dies Solemnes tum Domini, quum Beatissimae Virginis Mariae), Eucharistiam sumendam deferant.

XIX. Antequam Sanctissimum Viaticum ad infirmos deferatur diurno tempore, curent praemittere signum aliquod campanae ad Populum convocandum, ut idem Dominus omnium fideles suos secus habeat ad associandum, ac adorandum. Dum egreditur per viam, saltem quatuor habeat lumina (3), praemisso usque domum infirmi campanulae sonu, et in regressu ad Ecclesiam, ut qui sunt in via, per quam transire debet, genuflexi Majestatem ejus adorent. Parochus, vel Sacerdos deferens Sanctissimum Sacramentum, (qui debet esse ad Confessiones audiendas adprobatus) super Superpelliceum, et stolam gestet pluvialem albi coloris cum velo humerali, et sic, detecto capite sub Baldachino (4) per quatuor confratres sacco indutos hastas gestantes delato, cum Sanctissimo Viatico procedat Psalmos canendo ad normam Ritualis Romani; Cum ad Ecclesiam advenerit, antequam Sanctissimum includat, Populum benedicat monendo adstantes de lucranda Indulgentia ab eis, qui Sanctissimo Viatico associarunt, et interim orare eos exoptet pro felici statu Sanctae Romanae Ecclesiae, et pro infirmo. Horis nocturnis non deferatur Viaticum, nisi necessitas urgeat.

(1) *Bened. XIV. De Synod. Dioeces. Lib.* 7. *C.* 12. *N.* 5.
(2) *Idem Bened. eodem loco Numero* 3.
(3) *Conc. Rom.* 1725. *Tit.* 5 *Cap.* 7.
(4) *Sac. Rit. Cong.* 12. *Aug.* 1695.

CAPUT QUINTUM

DE SACRIFICIO MISSAE.

I. Quod olim in ea figurarum lege Melchisedech Sacerdos rite confecerat in oblatione panis scilicet, et vini (1), id Summus Sacerdos, cujus Rex Sale Typum gesserat Jesus Christus Redemptor noster, tanquam legis plenitudo, veritate complevit. Provide ipse pridie, quam pateretur, postquam calicem pani adjunctum similiter ostendit esse Corpus, et Sanguinem suum discipulis, quos ad opus elegerat ministerii tam admirabilis, dixit = *Hoc facite in meam commemorationem* = Id ipsum eorum in Sacerdotio successoribus agendum esse demonstravit (2). Hoc igitur completo mirabiliter Eucharistico Sacramento, cum nobis fons amoris tradidisset in cibum, Sacrificium istud instituit, quo victimam se ipsum offert Aeterno Patri (3); idque pro nobis praestat quotidie in Altari per Sacerdotum manus, quibus dumtaxat officium istud committi voluit (4). Ideo profecto in tam Coelesti holocausto Sacerdotes intelligant ex animo, quales se esse debent, nedum Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (5), sed horum conditores in persona Christi. Quoties enim Missae celebratur Sacrificium, opus redemptionis nostrae per Sacerdotes exercetur (6), et unum, idemque fatemur Sacrificium, quod Christus in Ara Crucis obtulit se ipsum, sola ratione offerendi diversa.

II. Antequam ergo Sacerdotes, qui tanto refulgent honore, ad sacrificandum accedant, perpendant prius, qua cordis puritate, quo pietatis affectu, et qua reverentia hoc mysterium sit celebrandum; Quod si gravis culpae conscii sibi fuerint, neutiquam sibi blandiantur contritionem quamlibet maximam sine Sacramentali Confessione sibi fore suffecturam, nisi gravissima urgeat necessitas, nullusque in promptu fuerit, cui peccata confiteri valeant.

III. Nullus audeat celebrare absque tonsura, ac veste talari, quam nolumus esse dimidiatam, sed honestam cum manicis in anteriori parte clausam, eamque, nedum in Civitate, sed etiam in Oppidis omnibus Dioecesis praecipimus, ut Sacerdotes eam domi induant ante ingressum in Ecclesiam, et numquam in Sacristia: ab hac lege exteros excipimus, qui occasione transitus, aut brevis morae

(1) *Genes. 4. Vers. 18*
(2) *Luc. 22. V. 19. Conc. Trid. Sess. 22. C. 2.*
(3) *S. Leo Serm. 8. de passione Domini.*
(4) *Hymn. ad Matutinum in Solemn. Sanctissimi Corporis Christi.*
(5) *Ap. 1. ad Corint. Cap. 4.*
(6) *Eccles. in Dominica IX. post Pent.*

Sacrum facere postulant, nec non eos, qui ad celebrandum in Ecclesiis ruralibus se conferunt, dummodo congruis vestibus nigri coloris sub genua defluentibus utantur; Si aliter fecerint, pro prima, et secunda vice, tum Sacerdotes iidem, quum Ecclesiarum rectores trium scutorum poenam irremissibiliter solvent; Pro tertia vero suspensionem ad quindecim dies ipso facto incurrent. Quare, qui vestem talarem non habent, infra duos menses provideant, nec eis suffragari putent impotentiae praetextum; Vestis talaris enim, et tonsura capillorum ad instar coronae sunt ea, quae absolute Ecclesiasticos a Laicis distinguunt. Nemo quoque cum fictitia coma, quae vulgo dici solet = Parrucca = celebrare praesumat, nisi licentia opportuna.

IV. Omnis homo, cum sit ratione praeditus, singulis in operibus attente, ac mature agere debet, debitumque actionis suae finem intendere, itemque se ad opus utcumque praedisponere; Id eo magis Sacerdotes perpendant, non quasi ex consuetudine habitualiter ad celebrandum accedant Sacrificium Missae, sed matura animi dispositione, praemissa recitatione Matutini cum Laudibus (1), nec non devota peracta praeparatione; Quapropter in aliquibus Sacristiae partibus tabellam preces pro opportunitate Sacerdotis continentem, ac genuflexorium apponi mandamus, et peracto Sacrificio, itidem orationes in ea contineantur pro gratiarum actione; Silentium observari volumus in Sacristia, ne Ministri Altaris strepitu, et clamore distrahantur. Si quid fortasse dicendum erit, id faciant brevitate verborum, ac submisse.

V. Curent Sacerdotes ea omnia, quae ad Missae Sacrificium necessaria sunt, priusquam sacris induantur paramentis Sacerdotalibus (2): Inspiciant praesertim calices, corporalia, purificatoria, et pallas, ut munda, et nitida sint, atque paramenta decenter ornata, et coloris diei currentis, sicque sibi devotionem, adstantibus venerationem ingerant. Altaria quoque sint decenter munita, prout ad opus Sacrificii requiritur; Proinde serio quoscumque Ecclesiarum Rectores, Praefectos, et Sacristas monemus, ut in Ecclesiis nil minus dignum, et exordescens reperiatur; At vero in omnibus nitor, et candor resplendeat, et quantum fieri poterit, pallia Altaris, conopoea Tabernaculi sint coloris officii currentis ipsa quoque convenientia; Negligentes arbitrio nostro pro modo culpae punientur.

(1) *Rubrica Missal. P. 1. Tit. 15. N. 1. Par. 2. Tit. 1. Cap. 1. Par. 3. Tit. 10. C. 1.*
(2) *Rubrica Missal. de praepar. Sacerdotis Tit. 1.*

VI. In Ecclesiis, Oratoriis, vel Altaribus pollutis, interdictis, aut a nobis non approbatis, nec benedictis, nemini Presbyterorum Sacrum agere liceat (1), nec si ibi aliquis publice excomunicatus, vel interdictus adfuisset (2). In Oratoriis insuper privatis non audeant Sacerdotes celebrare, nisi prius constet de Apostolico indulto Nobis, vel Vicario nostro Generali exhibito, in quo dies praefixi observentur. Induti sacris vestibus meminerint, cujus repraesentent immaginem; Non ira parati deambulent, non colloquantur, non verba otiosa emittant, sed vultu modesti, gravitate pleni, oculis humiliter demissis, gressu composito ad Altare accedentes Redemptorem nostrum Crucifixum recogitent. Duo lumina cerea ardeant in Missa, quae incipi non debet, nisi sint accensa; Et unus inserviat, qui, si possit, sit Clericus superpelliceo indutus, alias admittetur laicus, sed decenter indutus bene instructus ad opus tanti ministerii: Mulieres omnino excludantur, quamvis Sanctimoniales; Vinum in Sacrificio sit album, quantum fieri potest, recens, et purum: Aqua sit naturalis, et limpida; Apponentes materiam Sacrificii dubiam, aut exosam ad nos denuncientur, quos severe puniemus: Celebrantes autem, vel adsistentes caveant, ne tabaccum sumant in Altari, cum sit res valde indecens, et in eo loco sordida.

VII. Nimia prolixitas certe in Missae celebratione est corripienda, ne taedio adstantes afficiat; Verumtamen a nimia brevitate Sacerdotes magis caveant, nec in legendo tam citissime, nec in sacris coeremoniis tam festinanter se gerant memores illius tremendae maledictionis sententiae ad hominem opus Dei negligenter facientem (3); Quia tamen non sine piorum moerore Sacerdotes non pauci ob nimiam festinationem, ac signorum, actionumque involationem, indevote, irreverenter et cum adstantium scandalo celebrant; Nos in primis eos paternaliter monemus in Domino Jesu Christo, ut emendationem, correptionemque faciant. Sciant verecundi per id tempus, quod Sacrum faciunt, Angelos eisdem assistere, ac ut inquit S. Joannes Chrysostomus = Coelestium Potestatum universus ordo clamores excitat, et locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum Choris plenus est (4). Haec serio recogitantes, diversimode rem tam sanctam, tam tremendam pertractarent; Monemus igitur omnes, ut attente, ac devote, clare, et distincte in Missae celebratione medii viam sequentes placationis hostiam Deo offerant.

(1) *Cap. Reposuisti de Confess.*
(2) *Cap. Excommun. Bened. XIV. Notific.* 55. §. 11. *Cap. permittimus.*
(3) *Jerem. Cap.* 48.
(4) *S. Joannes Chrysost. Lib.* 6. *de Sacerd.*

VIII. Approbatos Ecclesiae Catholicae ritus diligentissime, ac omni studio custodiant, et servent, nil prorsus addentes, minuentes, et immutantes (1). Quodcumque in praescripto ritu etiam in minimis negligere, ommittere, vel mutare sine peccato esse non potest, et ne ignorantiae praetextu in similibus deficiant, semel saltem, vel bis in anno rubricas Missalis Romani perlegant, per quas edoceantur Sacerdotes quidquid ab eis oporteat observari.

IX. In Solemnioribus Festis, quae Prioralia nuncupantur, in quibus Nos Pontificalia non celebramus in Ecclesia Cathedrali, Missam cantare spectat ad Archidiaconum, qui primam post Pontificalem habet dignitatem; Quod si justo detineatur impedimento, quominus id explere valeat, succedat ad canendum Archipresbyter; In Ecclesia vero Collegiata Sanctorum Apostolorum Andreae, et Joannis Terrae Canini, Archipresbytero legittime impedito, Canonicus sequens Decanus in ordine succedat. Singulis diebus festivis Missa conventualis tam in Cathedrali, quam in Collegiata cani debet cum Diacono, et Subdiacono; Aliis in Ecclesiis Oppidorum nostrae Dioecesis, ubi plures reperiuntur Sacerdotes; et Clerus vel ex onere, vel ex consuetudine frequenter Missam Parochialem decantent cum Vesperibus; Ecclesiasticorum enim est gloriam Dei augere, caeterosque fideles excitare ad laudandum Dominum verbo, et exemplo, ad quod agendum nos eos hortamur.

X. Sacerdotes Seculares vagos, et ignotos admitti vetamus ad celebrandum in Ecclesiis Regularium quoque, tum hujus Civitatis, quum Dioecesis, nisi Ordinariorum suorum recentes testimoniales litteras, in quibus de dolo suspicari non possit, et a Nobis, vel Vicario nostro Generali, aut saltem in Dioecesi, a Vicariis foraneis probatas exhibeant (2). Et pro Presbyteris e Regionibus dissitis, et ultra montes advenientibus, necesse est, ut sit firmata, vel a Nuncio Apostolico, vel ab alia Persona, quae cultum Catholicum, et Ecclesiasticos ritus justificet (3). Sacerdotes autem Regulares coenobia non habentes in nostra Civitate, et locis Dioecesis, nisi litteras obedientiales suorum Superiorum a Nobis pariter, vel a Vicariis nostris, Generali in Civitate, et Foraneis in Dioecesi, recognitas ostenderint, non admittantur ad celebrationem Missae (4). De quibus in primis Rectorum Ecclesiarum conscientias oneramus, et Sacristae omnino praeceptis hujusmodi obtemperent, sicut in re tanti momenti exquirit diligentia.

(1) *Conc. Trid. Sess* 22. *in Decr. de Observ., et Vitan. in Miss.*
(2) *Urban. VIII. Constit.* 28. *Sanct.* 3.
(3) *Litter. Enciclic. Sac. Congr.* 12. *Novembris* 1709.
(4) *Conc. Mediol.* 1. *Et quod pertinet ad Celeb. Missae.*

XI. Dum in Ecclesia Cathedrali, vel aliis in Ecclesiis Episcopus Pontificaliter celebrat, nedum ullus Sacerdos audeat celebrare, verum etiam totus Clerus Civitatis, non exceptis Parochis, dummodo gravi onere adsistentiae alicujus moribundi non premantur, cum superpelliceis adsistat (1). Ita quoque, ad normam vetustissimae sanctionis Canonum, in Altari, in quo Pontificalis Missa celebrari debet, nemini liceat Sacrum facere eo die absque facultate (2). Tempore Missae Solemnis, et Parochialis, vel tempore Doctrinae Christianae, aut concionis celebrationem aliarum Missarum in eadem Ecclesia absolute vetamus.

XII. In omnibus Ecclesiis Parochialibus, aliisque, in quibus asservatur Sanctissimum Sacramentum, ultimo triduo Majoris hebdomadae unicum Sacrum omnino fiat; Campanae in Sabatho Sancto quarumcumque Ecclesiarum etiam Regularium non pulsentur ante pulsationem campanarum majoris Ecclesiae (3). Quoad organi pulsationem observari mandamus Coeremoniale Episcoporum.

XIII. Novi Sacerdotes primam Missam celebrare non praesumant, nisi prius probati a Magistro coeremoniarum, aut ab alio exacto Sacerdote per Nos designando licentiam a Nobis impetraverint; Nonnullorum enim Sacerdotum in celebratione Missae irreverentia, et improbatae coeremoniae sunt repetendae ab imperitia, quam secum habent usque ab initio Ordinis Sacerdotalis; Si quis ergo novus Sacerdos contravenerit, gravi poena arbitrio nostro erit damnandus.

XIV. Et cum non desint Sacerdotes, qui Missarum satisfactionem negligunt, ac deinde absolutionem Apostolicam impetrare student, ac sese componunt cum Reverenda Fabbrica S. Petri de Urbe, et sic satis fore id conscientiae consultum existimant: Serio perpendant ex illa clausula, sub qua praesertim compositiones concedi solent = *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragatur* = . Ideo pro certo teneant tales Sacerdotes, quod si quem malitiose dictam absolutionem obtinuisse deprehenderimus, Sacram Congregationem super his certiorem faciemus.

XV. Volumus, et mandamus ad fraudes, erroresque vitandos pro celebratione Missarum, ut in omnibus Sacristiis appensa teneatur tabella generalis, in qua sint descripta clare, ac distincte omnia, et singula onera Missarum tam perpetua, quam ad tempus implen-

(1) *Sac. Cong. Conc. in una Ferentini 1. Novembris 1639.*

(2) *Bened. XIV. Constit. in Postremo §. 9. 20. Octobris 1756.*

(3) *Conc. Later. sub Leone X. Constit. 22. dum intra.*

da ratione Beneficii, Cappellaniae, Legati, vel cujuscumque piae dispositionis. In Ecclesia Cathedrali, et Collegiata Missa Conventualis pro Benefactoribus primum locum teneat, et in Parochialibus Missa pro Populo. In reliquo exprimi debet mensis, vel dies, in quo obligatio satisfaciendi evenit, Altare, ubi celebrandum est, nomen Fundatoris, seu Benefactoris, testamentum, vel instrumentum, indicatis Notarii nomine, die, mense, et anno (1), ibique etiam describantur distincte, et expresse (ne oriatur confusio in invisendis oneribus peculiaribus) clausulae, quae denotent ea onera incumbere Ecclesiasticorum, vel Laicorum familiis.

XVI. Inposterum, ne gravamen Ecclesiis, Altaribus, Confraternitatibus, Capitulis, et Sacerdotibus quibuscumque apponatur ultra id, quod expedit, vetamus, et prohibemus nova onera perpetua recipi absque in scriptis expressa licentia Nostra, vel Vicarii nostri Generalis, nisi prius demostrative constiterit, quod fundus, seu capitalium redditus sufficiant ad onera satisfacienda, nec non Sacerdotes cum aliis jam sibi indictis oneribus nova adimplere possint (2): Itemque sciant, Nos in concedendis hujusmodi licentiis prae oculis semper habere expensas locorum piorum maxime pauperum, ne potius detrimentum, quam utile eis inferatur, idque disponemus, prout nobis aeque expediri videbitur: Qui vero nova onera sine licentia, ac praedictis conditionibus sub quovis praetextu ausus fuerit recipere, poena pecuniaria, et aliis etiam gravioribus pro nostro arbitrio punietur.

XVII. Omnia, et singula onera descripta in tabella referantur in librum oblongum, et bene compaginatum, foliisque, et chartis ita distinctis, ac separatis, ut sub unoquoque onere litteris grandioribus indicatae Missae celebratae notentur. Alius praeterea habeatur liber, ubi adnotentur eleemosinae a fidelibus oblatae, et receptae per Capitulum, Sacristas, Capellanos, Rectores Ecclesiarum, Priores, Questuarios Confraternitatum ad effectum celebrandi Missas manuales, et adventitias. Hos libros omnino esse volumus in unaquaque Ecclesia, ubi sunt onera Missarum, et ibi Sacerdotes statim post celebrationem Missae eam describant per se, et non per alium, nisi aliquod impedimentum eveniat; Dolose notantes in libro Sacristiae Missas celebratas, ultra poenam falsi, puniemus etiam poenis corporalibus pro nostro arbitrio. Ad servandam rectitudinis normam aequum est, quod unusquisque Sacer-

i

(1) *Innoc. XII. Consult. Nuper. 23. Decembris 1697.*

(2) *Idem Innoc. XII. Consult. Nuper. ut supra 23. Decembris 1697.*

dos librum Diarium domi habeat, in quo adnotentur de die in diem Missae quaecumque a se celebratae; Id enim facientes Presbyteri aequivocitates non paucas, ac plurimos errores avertunt.

XVIII. Quicumque in aliquo certo, ac determinato Ecclesiae Altari, seu in aliqua certa, ac determinata Ecclesia Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare debet, si in alio, aut in alia celebraverit, ne putet suum onus, aut obligationem, qua ex fundatione, vel ex alio quocumque titulo obstringitur, persolvisse.

XIX. Postremo mandamus, et stricte praecipimus ad indebitum tollendum abusum, quod omnes eleemosinae, quae singulis annis Quadragesimali tempore colliguntur in nostra Ecclesia Cathedrali Dominica Quarta *Laetare* pro animabus Purgatorii a fidelium largitate, Nobis deferantur, aut Vicario nostro Generali; Nam Nobis maxime interesse debet nedum suffragandi defunctorum animas sollicitudo, verum etiam opportune distribuendi easdem pro Sacrificiis tum Capitularibus dictae Ecclesiae Cathedralis, quum etiam Parochis, et aliis Sacerdotibus Civitatis; Omnium enim fidelium mens est, ut indistincte a singulis suffragentur animae per Sacrificia, et quam citissime ad hoc ut, quae igne probantur, statim per misericordiarum Patrem educantur e loco carceris ad Coelestem Beatitudinem, ubi eas expectant Justi, donec ipse Deus illis retribuat in aeternum.

CAPUT SEXTUM

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

I. Jesus Christus benignissimus noster, atque misericordiarum Pater per Sanctum Regenerationis lavacrum Nos a peccati originalis labe liberavit; Per Sacram Chrismatis unctionem contra malorum nobis a Diabolo immissorum incursus communivit; per pretiosissimum Sanguinem suum in potum, et Sacrosanctum Corpus suum in cibum quotidie nos enutrit, et pascit; Sed sapienter agnoscens, quam facilis sit, ac debilis humanae naturae misero protoparentum lapsu enervata conditio, et quam facilis ad ejusdem gratiae amittenda praesidia; Post suam ideo Resurrectionem, utilissimum Poenitentiae condidit Sacramentum, cujus vi a sceleribus absoluti (1) amissam gratiam recuperare, Deo reconciliari, pacem, ac serenitatem conscientiae, Coelestesque consolationes adipisci possemus. Hoc autem Sacramentum Poenitentiae scilicet a Sanctissimis Patribus alterum Baptisma appellatur (2), sed primo laboriosius, cum fiat lacrymarum la-

(1) *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 2.*
(2) *S. Greg. Nazianz. in Orat. ad S. Lavcer.*

vacro; quodque dicitur etiam secunda post naufragium tabula (1), cum per ipsum ad salutis portum peccator venire possit.

II. Omnes igitur utriusque sexus Christifideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua confiteri peccata studeant saltem semel in anno (2). Parochi, quibus animarum salutis incumbit officium, Populos de hoc Sacramento sedulo edoceant, atque hortentur saepe mundari proprias conscientias, easque dealbari in sanguine Agni, qui solus in Poenitentiae Sacramento per suos ministros tollit peccata. Inumerabilia eis exponat pericula, per quae vitae humanae cursus breviter recidi posset; Instante lethali culpa, omnino impossibile esse petere Salutis portum, citissime praeoculis exponat terribilis sententiae Salvatoris verba = Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis (3). Tandem ad pusillanimitatem de medio eorum tollendum, qui rursus post Confessionem Sacramentalem lapsi sunt, hujus Sacramenti efficaciam demonstrent, et summam Dei bonitatem, qui non improperat eis, sed praevaricatores immo ad cor suum advocat, neque mortem vult illorum, verum, ut convertantur, et vivant (4).

III. Ad Sacramentalem Confessionem autem fideles, tanquam ad Trhonum Gratiae, adire debent cum fiducia, ut misericordiam consequantur in tam beneficio opportuno (5); Ideo Confessarii benigne poenitentes recipiant, cum ad Tribunal reconciliationis cucurrerint, ac memineant, cujus sint ministri. Veruntamen diligenter advertant, an ipsi poenitentes sint vere dispositi, an certa dent Contritionis signa, firmiterque sint de non peccando propositi. An e contra ex eorum videantur numero, quibus facilitas absolvendi praebeat faciliatem peccandi, cujusmodi sunt, qui in diuturna peccandi consuetudine, aut in occasione versantur sine ullo emendationis signo; Qui ex culpa morosi sunt ad restituendum, cum restituere possint; Qui ignorant praecipua Fidei mysteria, et Decalogi praecepta, atque Ecclesiae saltem quoad substantiam; Parentes, qui natos suos, quos Deus illis donavit, in rationabili aetate constitutos non mittunt ad doctrinam Christianam, atque minime curant, ut addiscant ea, quae necessaria sunt ad aeternam salutem. Qui odium, seu inimicitiam deponere nolit; Iis, aliisque cujusmodi generis differtur absolutio. Repellendi quoque sunt non a vinculis peccatorum

(1) *Concilium Tridentin. Sess. 24. C. 2.*
(2) *Concilium Lateranense 5.*
(3) *S. Luc. Capite 13.*
(4) *Ezechiel. Capite 33. V. 11.*
(5) *Ap. ad Hebreos 4.*

soluti, qui alienae famae debitores reperiuntur sive dictis, sive scriptis, nisi prius authentica, et vera ediderint cum opportuna retractatione emendationis signa. Hoc enim maximum inter peccatorum genera dici potest, cum ipsi gladio linguae, aut infami libello puellarum honorem, matronarum fidem conjugalem, secularium bonum nomen, et Ecclesiasticorum venerationem, existimationemque vulnerari, opprimere, et evellere conantur. Non omni eorum verbo, promissioni, aut protestationi auditum praebeant Confessarii; Proinde ab eis absolutionem diferre opus est, ac hos experimento probari (1).

IV. Nullus Sacerdos, sive Secularis, sive Regularis, licet approbatus, in alienis Dioecesibus audeat extra mortis articulum excipere Sacramentales Confessiones, nisi prius a Nobis ordinariam, vel delegatam obtinuerit facultatem sub gravibus poenis a Sacris Canonibus statutis (2). Hanc vero nemini concedemus, nisi per examen satis constet Nobis de ejus scientia, et moribus, aut alias Nobis jam aptus videatur; Porro litteras patentales ad id munus exercendum non expediemus, nisi ad sex menses, vel ad annum, et interim arbitrio Nobis reservato, et respectu Regularium Sacerdotum facultatem hanc non illis tribuemus, nisi testimonium conventus Superior ostenderit de disciplina, et moribus (3). Nemini autem fas sit licentiam audiendi Confessiones limitatam, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel quoad genus personarum in aliquo ex his transilire quocumque privilegio non obstante, sub poena quinque aureorum, et suspensionis ab audiendis Confessionibus incurrenda (4). Insuper quicumque Confessarius generaliter a Nobis approbatus declaramus, quod non censeatur approbatus etiam ad Confessiones Monialium; Pro his enim speciali Nostra approbatione indiget, nec non approbatus, puta pro Monasterio S. Clarae hujus Civitatis, non censeatur approbatus pro audiendis Confessionibus Monialum Terrae Ischiae, nec vicissim, ita ut completo deputationis tempore, non censetur amplius approbatus, et toties indiget nostra approbatione, quoties contigerit deputari.

V. Parochi, qui Sacerdotes, vel Seculares, vel Regulares alterius Dioecesis etiam approbatos per suos Ordinarios ad audiendas Confessiones ad celebrandum vocaverint, eos non admittant ad Fidelium Confessiones excipiendas, nisi per Nos fuerint approbati, vel nostra speciali

(1) *Communis Doctorum.*
(2) *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 15. de Reform.*
(3) *Conc. Rom. Tit. 23. C. 2. anno 1725.*
(4) *Sac. Cong. Conc. in Patav. apud Bened. XIV. Volum. 4. Notificatione 28.*

licentia (1). Curati autem, et quicumque sunt animarum Rectores, etiam extra propriam Parochiam, et Dioecesim, non prohibentur audire suorum Parochialium tantum Confessiones, non vero alienorum Parochianorum sine licentia.

VI. Confessarius, antequam ad Confessiones excipiendas accedat, curet, ne aliqua culpa mortali sit coinquinatus, seu aliqua Censura, vel Canonico impedimento irretitus (2). Sed studeat ita sancte vivere, ut non solum verbis, sed etiam exemplo ad viam virtutis, et bonorum operum Poenitentes erudire possit (3). Confessiones audiantur non in privatis domibus, nisi infirmitatis culpa, et quoad mulieres infirmas ea cautio adhibeatur, ut Confessarius ab aliis non audiri quidem, sed conspici possit; Sed poenitentes auscultantur apud Sedem Confessionalem in Ecclesia. Sacerdos secularis sit indutus veste talari, superpelliceo, stola, aut saltem superveste Chorale, si sit Canonicus, stolam semper habeat, si vero sit Regularis, eo habitu utatur, quo utitur in Choro cum Stola: Sedes Confessionalis habeat crates minutatim perforatas: Desuper pendeat aliqua Crucifixi immago; Mulieribus cujusvis aetatis, et Pueris ante expletum eorum quartumdecimum aetatis annum ante ostiolum Sedis Confessionalis hoc Sacramentum non administretur, nec ante ortum Solis, vel post ejus occasum (4), nisi in aliquo magno Populi concurso, et respectu virorum dumtaxat, alias qui contravenerit, eum facultate audiendi Confessiones privabimus.

VII. Confessarii, quibus Doctrina praefulgeat e Sanctis Patribus, Conciliis, atque ab Apostolicis Constitutionibus, non utcumque proinde sententiam proferant Sacramentalem, sed mature morbum uniuscujusque poenitentis perpensum habeant, eidemque apponendo medelam de sanitate spirituali, non de perditione sentiant; Idcirco prae manibus habeant sententias, et decisiones saniorum Doctorum, ut eisdem uti valeant, sicut et laxas opiniones, et propositiones damnatas, ut evitent, et rejiciant quidquid reprobatum est a Sede Apostolica: Cum charitate prudentiam quoque induant; Nam dum poenitentes ad veram contritionem hortantur, eos maxima advertentia de peccatis interrogent; Peccata inhonesta cautissime honestis verbis explicentur; Si a poenitentibus confuse, vel malitiose exposita fuissent, de his breviter investigent, praesertim cum juvenibus, et mulieribus, ne peccandi modum potius, quam viam evitandi peccata addiscant ipsimet poenitentes, nec non advertant, ne inde-

(1) *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 15.*
(2) *Cap. Qui vult de Poenit. Dist. 6. C. Qui sine.*
(3) *Conc. Trid. Sess. 14. in decret. de Reform.*
(4) *Ep. Innoc. XII. 4. Dec. 1694.*

bitis circumstantiis impudica explorent, quia nil facilius, quam semetipsos in tentationem inicere, et in laqueum Diaboli (1). Non in verbis asperis Confessionem Poenitentis praerumpant, non vultum in severitate demonstrent, nullum signum emittant, aut motum, a quibus circumstantes aliquid suspicari possint; In fine Confessionis absque humano respectu suum officium adimpleant, et discreto zelo objurgationum utantur.

VIII. Ad infirmorum excipiendas Confessiones vocati, sive Seculares, sive Regulares Confessarii, charitatis viscera apud illos habeant, adjuvent eorum impotentiam, si necesse foret, et cum illis hoc salutare ministerium adimpleant; Peracta Confessione, proprium Parochum, seu Medicum certiorem faciant in scripto (2), sub poena suspensionis ab audiendis Confessionibus ferendae sententiae; Et si falso in hac re aliquid testificaverint, latae sententiae Nobis reservata; In alienis Ecclesiis Confessiones audire non eis licebit sub quovis praetextu, et cujuscumque personae, nisi Rectores Ecclesiarum praemoniti id permiserint.

IX. Caveant Confesarii tum Seculares, quum Regulares excipere Sacramentalem Confessionem etiam tempore Jubilaei, aut in vim indulti (3), in persona complicis de peccato turpi, atque inhonesto, et contra Sextum Decalogi praeceptum comisso, nisi in causa verae necessitatis, nimirum in mortis articulo, dummodo nullus alius reperiatur etiam simplex Sacerdos ad audiendas Confessiones non approbatus, qui Confessarii vices gerere possit (4), alias absolutio, si quae impertita fuerit, nulla est, et irrita tanquam a Sacerdote facultatem non habente impertita; Si quis Confessarius tamen hoc faceret, Excomunicationem Majorem incurreret ipso facto Summo Pontifici reservatam; Et si tunc idem Confessarius non a gravi necessitate impulsus, sed ob infamiam, vel infamiae suspicionem avertendam, se ingerat, ut nullus alius Sacerdos complicis Confessionem audiat in mortis articulo constituti, et quaedam media neglexerit ad avertendum periculum, vel infamiae suspicionem, potest excipere Sacramentalem Confessionem, et ab eo crimine poenitentem absolvere, dummodo in eodem periclitante debitae sint dispositiones; Eo casu absolutio esset valida, quia tunc non est ibi sublata facultas; Attamen praedictae excomunicationis poenam incurrit (5).

(1) *Apost. 1. ad Thimoth. C. 6.*
(2) *Conc. Rom. 1725. Tit. 23. C. 1.*
(3) *Ibidem, Item Conc. gen. Lateran. sub Innoc. XI. 1226. Const. S. Pii V. 8. Martii 1566 et Bened. XIV. Constit. 1. Januarii 1741.*
(4) *Idem Pontifex in Const. Apostolica Numer. 8. Febru. 1745.*
(5) *Idem loco cit.*

X. Ad non leve damnum tollendum, quod Daemonum fraudibus animabus imminere potest adjuncta hominum malitia, quae mirabilem effectum Sacramentalis Confessionis conatur eludere, praecipimus, et stricte mandamus Confessariis quibuscumque, ut cum audierint, quod Sacerdotes, sive seculares sint, sive Regulares, potestatem audiendi Confessiones habentes, vel ea carentes, poenitentem, sive masculum, sive foeminam ad turpia sollicitare tentaverint tam in actu Sacramentalis Confessionis, quam ante, vel immediate post, aut occasione, vel praetextu Confessionis, sive extra occasionem Confessionis, et in Confessionali sede, sive in alio quocumque loco destinato ad audiendas Confessiones, vel electo cum simulatione audiendi ibi Confessionem, idque expressum sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, sive tunc ibi legendam, sive post: similiter si cum eo temere illicitos, et inhonestos sermones, seu tractatus habere ausi fuerint, omni vi, et enixe poenitentes moneant, sollicitatum, aut sollicitatam teneri denunciare Nobis, vel Sacrae Inquisitioni hos animarum proditores ipso Daemone iniquiores, eo quod ille proditor fuit tantum ab initio, et denuntiationem emittant intra mensem, prout habetur in Edicto S. Officii sub poena Excomunicationis Majoris ipso facto incurrenda, quamvis mutuo poenitens, et Confessarius se sollicitaverint, vel poenitens consenserit sollicitationi, vel non consenserit, vel longum tempus ab ipsa sollicitatione fuerit protractum; aut sollicitatio a Confessore non pro se ipso, sed pro alio facta fuerit. Ipsi poenitentes non sunt absolvendi, nisi prius sollicitantes denunciaverint, vel saltem cum primum poterint denunciare promittant. Insuper qui vel odio, vel ira, aut aliqua indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis crimine per se, vel per alios accusaverint, eorum absolutio praeter quam in fine vitae, et mortis articulo, reservatur Summo Pontifici. Ne autem de hoc aliqua suspicio oriri possit, Confessarios in Domino hortamur, ne tam frequenter ingrediantur domos Poenitentium Mulierum, nisi aliqua causa eos urgeat.

XI. Praxim quamdam abhorreant Confessarii interrogandi, et exquirendi a Poenitentibus socium criminis si habeant, vel nomen, cognomen, vel habitationem dicti socii, vel complicis sub quovis praetextu, et specie boni spiritualis, vel emendationis, Doctorum opiniones ad hunc finem referentes in oppositum, aut contradicentes; Confessarii, praeter grave peccatum, quod committunt hoc contrafacientes, declarationibus, et Statutis in Con-

stitutionibus Apostolicis neglectis (1), excomunicationem Summo Pontifici reservatam ipso facto incurrunt, et eos ab audiendis Confessionibus suspendemus, aliisque gravioribus poenis certe puniemus.

XII. Duae tabulae reservatorum casuum, et Excomunicationum hinc inde intus in Sede Confessionali, ne quid reservatum crimen, vel Sedi Apostolicae, vel Nobis Confessarii absolvant, ponantur: In una summarium Bullae Coenae Domini; In alia Catalogus omnium casuum, quos Nos reservamus, Confessariorum oculis appareant.

XIII. Mandamus quoque Poenitentiarium in Ecclesia Cathedrali Officio suo ad Charitatis abundantiam exacte fungi, nedum fidelium Confessiones excipiendo diebus festivis, at etiam ferialibus pro opportunitate poenitentium. In Solemnioribus vero diebus eidem incumbit in sede Confessionali de mane quodam tempore residere, quamvis nullus illum vocaverit (2); A casibus Nobis reservatis sciat Poenitentes absolvere non posse sine nostra expressa licentia (3).

XIV. Singuli Confessarii cum sint in Sacramenti Poenitentiae ministerio, recogitent, se esse inter caetera ad maximum Charitatis officium destinatos pro reconciliatione hominum peccantium cum Deo ab ipsis offenso. Ideo ab omni avaritiae labe, et simoniae suspicione mundos, ac puros se conservare studeant, ac proinde, vel praetextu Sacramentalis Confessionis, vel sub fictitia pietate, vel alio quovis modo, nec expresse, nec tacite aliquid etiam minimum petant, aut recipiant, pecuniarias poenitentias, quantum fieri poterit, non imponant; Et si aliquando poenitentis, seu criminis ratio requirat, ut tales imponantur, stricte prohibemus, ne sibi, suisque, vel alicui loco pio, aut Ecclesiae suae eas applicare jubeant, seu studeant. Restitutiones, quas ipsimet Poenitentes Confessariis tradunt determinatae personae consignandas per manus eorum fideliter, et quam citius consignent, cui debentur: Non sibi petant eas, quae indeterminate faciendae sunt restitutiones, poenitentibus ipsis potius relinquant arbitrio eorumdem disponendas (4).

XV. Ne Sacramentalem Confessionem, ad quam Peccatores adire, eamque desiderare debent, sicut cervus ad fontem aquarum, reddant odiosam, curent Confessarii, sigillum stricte, et accurate custodire. Quidquid in Confessione audierint, perpetuae oblivioni demandent, nec verbis, nec nutibus quid minimum, sive directe, sive indirecte manifestare audeant, quamvis poenitentes, a quibus auscultaverint, non dignoscantur sub poena arbitrio nostro infligenda.

(1) *Bened. XIV. in Constit. Suprema Omnium* 7. *Julii* 1746. *Et Constit. Ut primum* 1. *Julii ejusdem anni, et Constit. ad erudiendum* 28. *Septemb.* 1746. *Idem de Synodo Diocces. Lib.* 6. *Cap.* 11.

(2) *Sac. Cong. Conc. apud Crisp. da Visit. P.* 2.

(3) *Sac. Cong. Conc. in Derthon.* 6. *Julii* 1647.

(4) *Sac. Cong. Concilii ibidem.*

XVI. Facilius, et securius morte in hac vita nil dari potest; sanitas statim deperditur, et vix aliquando properante mortis stimulo animae expiandae a culpis debitum relinquit; Ne igitur de grege nostro quisquam pereat, sed habeat vitam aeternam, pro nostra pastorali sollicitudine volumus, et in memoriam Medicorum, et Chirurgorum revocamus eorum Jusjurandi Sacramentum, ut exacte, et religiose observent illud, scilicet tertiae visitationis tempore moneant infirmos de Sacramentali Confessione facienda, alias infirmos ad invisendum imposterum non accedant, qui ei non obtemperaverint, nisi valetudinis ratio fortasse levis momenti appareret. Contravenientes vero Physici Excomunicationis poenam ipso facto incurrent ex (1), et alias poenas subibunt.

XVII. Tabulae casuum reservatorum tum Nobis, quum Sedi Apostolicae referuntur in Appendice.

CAPUT SEPTIMUM

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

I. Cum adversarius noster Diabolus totius vitae cursu animas nostras devorare quaerat (2), vehementius tamen id studet in extremo mortis periculo, unde Extremae Unctionis Sacramento vitae nostrae finem, tanquam firmissimo quodam praesidio, Christus Dominus animarum Redemptor semper Pius, semperque Misericors munivit; Per hoc Sacramentum fideles roborantur, et fiunt animosiores (3) contra iniquissima tela inimici (4), qui in agone descendit habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet; Praeterea sanitas etiam corporis, ubi animae expedierit, interdum restituitur, prout a B. Jacobo Apostolo praedicatum est, comitante instantia precum (5).

II. Sacro igitur Chrismati, oleoque Sancto, quod et Cathecumenorum detur Benedictioni, quaeque quolibet anno feria V. in Coena Domini religioso ritu ab Episcopo celebratur, assistant Presbyteri omnes, Diaconi, et Subdiaconi tam Civitatis, quam Dioecesis; Qui

(1) *Constit. S. Pii V.* 8. *Mart.* 1566.

(2) *Conc. Trid. Sess.* 24. *de Sacram. Unctionis.*

(3) *Idem Conc. et Rit. Rom. de eodem Sacramento.*

(4) *Apost. ad Ephesios* 6 *vers.* 12.

(5) *Epistola Beati Jacobi. Cap.* 5.

pro hujusmodi assistentia ad praescriptum Pontificalis Romani descripti erunt in tabella a Canonico in Ecclesia nostra Cathedrali, et ab Archipresbytero, vel Plebano loci in Dioecesi quotannis exaranda, et patenti loco in Sacra Sede affigenda; Singuli vero ex descriptis paramenta albi coloris sui ordinis convenientia secum deferre, et personaliter interesse debebunt, nec nisi ex legitima causa a nobis probanda, alteri sui vices poterunt committere speciatim de hac nostra Civitate; Inobedientes autem poenae scutorum quinque irremissibiliter obnoxios volumus.

III. Parochi vero aegrotos sibi concreditos, cum eos in periculo vitae versari animadvertant, et Sacramentum hoc, vel petant, vel eis ministrare credant, instruere prius satagant de illius virtute, efficacia, et effectu, atque ad illud devote suscipiendum inflamment in omnibus fidei, spei, et charitatis virtutibus; Et quamvis insuper ad ministrandam Extremam Unctionem aegroto expectandus sit status, in quo adeo infirmitas periculosa certo credatur, ut ab humanis medelis nil, aut parum sit spei salutis, ac proinde ab Extremae Unctionis Sacramento medicina petatur; Attamen Parochi mortaliter peccant (1), qui aegrotum sancto ungunt oleo eo tempore, quo ipse naturalibus viribus est destitutus, omnissa omni spe salutis, et sensibus carere incipiat. Compertum enim habetur plurimum valere, si sacro oleo perungatur, dum adhuc in eo integra mens, et ratio vigeat ad uberiores fructus inde capiendos; Curent ergo, ne eorum anima hac gravetur culpa; Studeant hujusce Sacramentum ministrare, dum infirmus adhuc mentis sanitate gaudet, et loqui possit, ut sciat, quod recipit Sacramentum, et Deum oret pro uberrimo fructu illius, aliaque pietatis, et religionis exerceat officia; Infirmi propterea diu, noctuque visitandi sunt a Parochis post Confessionem, et Viaticum, quatenus infirmitas permittat, ne tam bonum Extremae Unctionis ipsis deficiat. Si vero aliquem repererint infirmum, sive pro morbi qualitate, sive aliquo inopinato casu, sensu, et ratione carentem; Parochi nihilominus in similibus Sacramentum administrent, dummodo eum viventem dignoscant; Quod si inter ungendum moriatur, ab ulteriori unctione desistendum est; In eadem infirmitate hoc Sacramentum non iteretur, sed convalescente aegro, et in idem vitae periculum relabente, poterit iterum ministrari, servato congruo temporis intervallo, quod ad quindecim, vel viginti dies prudentis viri arbitrio videtur extendi posse.

(1) *Cathechism. Rom. Parte 2. Cap. 6. N. 9.*

IV. Pueris, qui rationis usum nondum habuerint, nec bonum, et malum comprehenderint, non administretur Extrema Unctio, si vero doli, vel culpae capaces videantur, administretur illis, et-si nondum admissi fuerunt ad recipienda alia Sacramenta. Sunt quoque perungendi dementiae vinculo detenti, dummodo fuerint aliquando compotes sui in vita, et nulla irreverentia evenire possit Sacramento; Numquam vero ministrari debet hoc Sacramentum excomunicatis notoriis, aliisque, qui publice impoenitentes decedunt: Sancta enim non sunt canibus ministranda: Propterea volumus, et mandamus Parochos post Extremae Unctionis administrationem suos non deserere infirmos maxime laborantes in periculo mortis (1), sed eos curare sive per se, sive per alium Sacerdotem idoneum, et pium.

V. Parochus quicumque Sacramentum hoc administraturus Sanctum oleum omni decentia, et reverentia deferat ad locum aegroti, veste talari, superpelliceo, et stola violacei coloris indutus illud administret. Unus autem Clericus ei adsistat cum superpelliceo, qui aspersorium Aqua Benedicta, gossipium ad se abstergendum, et peruncta infirmi partes praebeat. Duo saltem lumina cerea colluceant, praescriptas preces, et quidquid in Rituali Romano praescribitur absolute praemittat, et observet: Partes inungendae erunt oculi, aures, nares, os, manus, (Presbyteris quidem ab exteriori parte, reliquis ab interiori) pedes, lumbi, seu renes, exceptis quoad hanc partem mulieribus ob honestatem, et viris etiam, qui ob aegritudinem loco moveri praepediuntur. Post administratam Extremam Unctionem, aegrotum hortetur ad gratias Deo agendas, at non tam pro corporis, quam pro animae salute in Ipsum sperare, quoniam est bonus, quoniam in seculum misericordia ejus (2). Nullus alius Sacerdos, sive Secularis, sive Regularis, audeat hoc Sacramentum ministrare aegroto absque Parochi licentia (3), cum ipse solummodo sit ejus ordinarius minister: Quando autem Parochus non possit inveniri, vel sit in mora, aut periculum mortis imnineat, tunc quicumque Sacerdos poterit hoc Sacramentum ministrare aegroto agenti animam (4).

VI. Dum infirmus in agonia positus fuerit, quem antea Parochus opportuna Benedictione in mortis articulo munierit, mandamus tam in Civitate, quam in Dioecesi, ut in Ecclesia Parochiali de-

(1) *Conc. Med. 4. et Rit. Rom. de Visit. Infirm.*
(2) *Psalmo 117.*
(3) *Clem. I. De Privileg.*
(4) *Conc. Mediol. 5. Part. 1.*

tur signum aliquibus campanae pulsibus ad denotandum fidelibus instantem aegroti mortem, ut pro eo Deum orent: Haec enim est pia, et laudabilis consuetudo undique adhibenda.

VII. Meminerint tandem Parochi Oleum infirmorum, nec non alia Sancta Olea singulis annis esse renovanda, veteribus combustis: Quapropter feria V. in Coena Domini nova per Nos confecta in unoquoque anno Sacerdotem aliquem, vel saltem Clericum ad illa accipienda mittant, qui a Parochis Dioecesis de equi vectura ad minus erit providendus: nunquam vero mittant Laicum. Sacra Olea in vasis argenteis, vel stamneis in decenti capsula serventur. Quod si infra annum aliquo modo oleum deficiat, et aliud benedictum haberi non possit, modico oleo non benedicto in minori quantitate super infuso reparetur (1).

CAPUT OCTAVUM

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I. Sacramenti Ordinis dignitas, utilitas, et necessitas quanta sit, ex eo perspicue manifestum est, quod alia Sacramenta ab illo ita pendent, ut sine eo, neque Religio, neque Apostolicum Ministerium, per quod spiritualiter et foecundatur, et propagatur Ecclesia, posset numquam consistere; Ne igitur Christianae Religionis Sacramenta dignis ministris, fidelibusque dispensatoribus careant, quorum potestate, vitaeque probitate, et rite, et innocenter conferantur, maxime est curandum, ut ii tantum Sacris mysteriis a Nobis initientur, qui castis moribus, qui scientia, qui zelo probati, acceptique Deo fuerint; Ideoque, qui de statu Laicali ad Clericatum, et a Clericatu gradatim usque ad Sacerdotium transire voluerit, serio perpendat, quod nemo Dignitatem, ac honorem tam grandem sumere debet, nisi vocatus sit tanquam Aaron (2). Unde Nos nemini manus imponemus ex illis, qui tam mirabile decus praeoptant sola ambitione, vel commoditate commoti, et non a Deo sunt vocati; Hujusmodi enim = Sacrarium ipsum ambiunt, et circa Sacrosanctam Mensam sese premere, ac protrudere volunt, tanquam non virtutis exemplum, sed elati victus parandi occasionem, et subsidium Ordinem esse indicantes (3). Quapropter, ne strictam Nos pro indignis Deo reddamus rationem, enixas ad Deum preces ex animo semper fundemus, ut cognoscamus, quos ostendit, et elegit viros utique boni testimonii, et probatos (1), nullumque crimen habentes.

(1) *Rit. Rom. De Sac. Extrem: Unction.*

(2) *Epist. ad Hebreos* 5.

(3) *Divus Greg. Nazian. Orat.* 1.

II. Hac praesenti sanctione igitur praecipimus in primis, ut nemini liceat habitum Clericalem induere, nisi de nostra in scriptis expressa licentia, et finem inserviendi Deo in Ecclesiis a Nobis statuendis ostenderit, ne postmodum sic indutus viliora exerceat officia, atque Ecclesiae valedicens uniformem Clericalem venerationis loco deturpet. Qua de re Ecclesiarum Rectores, ubi Clerici ad inserviendum sunt addicti, curent, ne quid indignum, et abjectum pertractent, sed eos saepe moneant vacare studiis, Deo fideliter servire, ac Divinam ejus Majestatem suppliciter exorare, ut suam eis adaperiat gratiam, nec non salutis viam, per quam ei famulari possint; Quod nisi ita se gesserint, illos Clericali veste exui mandamus, pro quibus uniuscujusque Rectoris, et Vicarii Foranei conscientiam oneramus, ut Nos sollicite certiores reddant.

III. Cupientes vero in Ecclesiasticam ingredi viam spiritum disponere debent, ac se ipsos probare, num a Deo vocentur, nec ne. Mandamus itaque prius hanc Nobis suam exponere voluntatem, et per octo saltem dies in spiritualibus se exercere officiis in aliquo pio loco a Nobis designando; Et hoc erit semper servandum tum pro quatuor Ordinibus minoribus, tum pro sacris Ordinibus. Immo pro Ordinibus Sacris, cum Deus Nobis gratiam, quam incessanter petivimus, dignatus sit tribuere, Seminarium, scilicet, in hac nostra Civitate jamdiu clausum pene a fundamentis rursus erigere: Hinc stricte mandamus, ut omnes in eo probentur saltem per tres menses, ac stipendium pro eo dato tempore constitutum persolvant (2).

IV. Nullus ad primam Clericalem Tonsuram, aut ad minores Ordines accedere praesumat, nisi per duos menses antea supplicem libellum Nobis ostendat, in quo admissionem petat, ut, supplicatione mature perpensa, quid acturi simus pro conscientia resolvere possimus. Interim secretis quoque informationibus, non solum certitudinem de vita, et moribus Postulantis sedulo requiremus, verum etiam de educatione, doctrina, vita, aetate, natalibus, et etiam corporis, animique dotibus. Longa enim debet esse vitam suam probatione mostrare, cui gubernacula commitun-

(1) *Act. Apost. Cap.* 1. *et Cap.* 6.

(2) *Sac. Cong. Episc.* 8. *Ottob.* 1682. *et Con. Rom. Tit.* 30. *Cap.* 2.

tur Ecclesiae (1). Statuto a Nobis die ante Ordinationem, omnia requisita exhibeant in nostra Cancelleria Generali, prout requiruntur juxta tabulam pro unoquoque Ordine in appendice extensam. Attestationes non recipiantur, nisi veridicae, ac juramento firmatae; Praeter fidem Baptismi, Confirmationis, et Ordinis jam suscepti, justificationes ultra mensem a die, quo sunt datae usque ad diem Ordinationis non recipiantur; Pro examine Ordinandorum, statuto per Nos die, ipsi accedant, et examen explebitur cum examinatoribus arbitrio nostro eligendis. Qui reprobatus fuerit, amplius non admittatur ad examen, nisi post sex menses: Inter caetera ab illis, qui in sortem Domini, et in statum Clericalem admitti petierint, ea specialiter requirimus per Nos, vel nostros examinatores, quae ad orationem mentalem spectare videantur: Quapropter, nisi sciant, quid haec, oratio significet, quid sit ejus initium, quid ejus corpus, effectus, et finis, prout in Appendice, minime ad dictum statum Nos eos admittemus.

V. Clerici tonsurati, vel alii minoribus Ordinibus initiati statim censentur adscripti Ecclesiae Cathedrali, si sint de Civitate, et Collegiatae, si sint de Terra Canini, et qui degunt in diversis Paroeciis vel Civitatis; vel aliorum locorum nostrae Dioecesis, ipsismet Ecclesiis proprii Parochi adscripti censeri debent, pro cujus speciali servitio, seu ratione Beneficii ordinati fuerunt, et a Nobis designati (2); singulis diebus festis, nisi legittime impediti, omnes suum Ecclesiae praestent officium in habitu Clericali, nempe cum veste talari, superpelliceo, et bireta, quod nisi fecerint, ipsi ad alios Ordines non promovebuntur; etiam Clerici conjugati, non bigami (in Paroeciis praecipue, in quibus nullus adest Clericus) non verebuntur munus Clericale obire in servitium Ecclesiae scientes, quod haec dispositio fuerit a Patribus Concilii Tridentini statuta (3) ad hoc ut omnibus pateat, eosdem tanquam Clericos privilegiis a Jure statutis gaudere.

VI. Qui petunt, ut secum dispensetur ab Interstitiis, ante examen coram Nobis veste talari induti compareant, causamque, necessitatem, aut Ecclesiae utilitates exponant: Ita quoque non aliam ob causam, quam ejusdem necessitatis, aut commoditatis Ecclesiarum aliquem Sacris initiabimus ad titulum Pensionis, vel Patrimonii sufficientis ad congruam vitae substentationem, quam taxatam in hac nostra Dioecesi ad scuta triginta sex monetae Romanae confir-

(1) *Hormisda Epist* 3. *Cap.* 1.
(2) *Conc. Trid. Sess.* 23 *Cap.* 6. *de Reform. Et Conc. Rom. Tit.* 8. *Cap.* 2.
(3) *Conc. Trid. Eadem Sess. Cap.* 6. et 8.

mamus, ne qui Sacris est initiatus cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere videatur; Minorem tamen causam in eo requiremus, cui patrimonium adsignatur, aut pensionem jam obtinet in suplementum Beneficii non sufficientis. Patrimonium constituatur in bonis stabilibus, et frugiferis, seu in censibus, nulla interposita collusione, et pacto; secus (1) ordinatus noverit se suspensum, donec a Sede Apostolica dispensationem obtinuerit. Itaque Patrimonium sit omnino liberum, et ejus fructus ad ordinatum spectent. Quapropter instrumentum non aliter, quam in nostra Cancellaria Generali conficiatur, dato solito juramento illi, qui patrimonium adsignat, nec non duobus saltem peritis, quaod ejusdem valorem: Patrimonium a patre constitutum nullum inducat praejudicium debitae legittimae aliis filiis: Patrimonium fundatum in censibus in casibus restitutionis Sortis deponatur apud depositarium a Nobis deputandum, minime vero relaxetur in manibus illius, qui censum extinxit, nec deponatur apud creditorem. In Constitutione hujusmodi Patrimonii apponatur pactum, ut videlicet, qui illud adsignat, in casu restitutionis sortis se obliget ad alendum Clericum, donec fiat rinvestimentum.

VII. Quando quis ordinatus est ad titulum Patrimonii legittime constituti, nequaquam illud renunciare valeat etiam post assecutionem Beneficii, nisi ex nostro consensu, quamvis in illius constitutione adjunctum fuerit pactum, vel Clausula = Donec provideatur (2) =.

VIII. Parochis facultatem faciemus denunciandi de more tribus diebus festivis inter Missarum Solemnia nomen, cognomen, et desiderium, nec non titulum legittimum Ordinationis illorum, de quibus nihil ex debitis, et secretis informationibus Nobis extiterit in contrarium (3). Interim omnes, et singulos monemus, eisque in virtute S. Obedientiae distincte praecipimus, ut quodcumque noverint in ordinandis omnino revelent. Parochi, peractis denuntiationibus, fidem faciant, an si quid ipsis revelatum fuerit impedimentum; Volumus quoque, ut ipsi Parochi secreto Nos moneant qui ipsimet sentiant de vita, et moribus, et de scientia ordinandorum, quid de titulo, et quocumque alio necessario scitu, prout conscientiae eorum in Domino videbitur expediri.

IX. Quod Statutum a Sacrosancta Trid. Synod. de promovendis ad Sacros Ordines observare cupientes, decernimus, et mandamus nullum Clericorum in minoribus tantum ordinibus constitutum ad Subdiaconatum ascendere posse, nisi post annum a recepto Accolitatu,

(1) *Can Sanctorum Dist.* 70. *Cap. Cum Secundum de Praebend.*
(2) *Sac. Cong. Conc.* 4. *Feb.* 1652.
(3) *Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 5.

dummodo aliter pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae Nobis videatur, quo tempore ab eo Ecclesiae inserviatur in ministerio Altaris in exercitio Ordinis suscepti (1). Idem intelligi debet sancitum pro Subdiaconibus, et Diaconibus (2). Diaconis interdicitur administratio Baptismi solemniter, nisi de nostra licentia in scriptis, et absolute administratio Sanctissimae Eucharistiae tam populo, quam infirmis.

X. Quicumque rationabili causa indultum a Sede Apostolica obtinent, ut in Sacris extra tempus ordinentur, noverint non ideo Nobis imponi obligationem eos ordinandi, cum id nostro remittatur arbitrio (3). Et ordinati in Presbyteratus Ordine sive extra tempora, sive statutis temporibus primam non celebrent Missam, nisi de nostra licentia, prout statuimus in Capite V., de Sacrificio Missae in hac nostra Synodo parte 2., adeoque ea omnia ad novum Sacerdotem attinentia servari mandamus, ne quid incongruum, et indignum eveniat.

XI. Quicumque ab alieno Episcopo ex nostris Dioecesanis in sua Dioecesi ordinari voluerint, et alieni a Nobis ordinari cupientes huc advenerint, sciant Nos eos non aliter dimittemus, nec respective admittemus, quam servato tenore Bullae Innocentii XII., quae incipit = Speculatores = Servatis quoque aliis inibi contentis; Ipsosque nostros Dioecesanos monemus, ut ab alieno Episcopo ordinati infra mensem exhibeant sive per se, sive per alios in nostra Cancelleria Generali litteras suscepti Ordinis, nisi tamen distantia loci majus tempus exigat; Quod statuendum arbitrio nostro reservamus; Si ultra praescriptum tempus id facere neglexerint, ab exercitio Ordinis suscepti erunt interdicti.

XII. Regulares quicumque de familia commorantes in Conventibus nostrae Civitatis, et Dioecesis, qui ad Ordines promoveri cupiunt, exhibeant Nobis directas litteras dimissoriales sui Superioris, prout disposuit Clemens VIII. (4). Et si nos Ordinationem non haberemus, vel abesse contigerit, Superiores Regulares suos subditos ordinandos recepto hoc in scripto probante absentiam Dioecesani Episcopi, vel Ordinationem ab eo non habendam ad quemcumque Episcopum Catholicum mittere possunt. Ipsi a Nobis semper erunt examinandi, ut eorum scientia probetur. In litteris dimissorialibus semper a Superioribus exprimenda sunt etiam nomina, et cognomina, quibus in statu seculari vocabantur Ordinandi, ad effectum

(1) *Idem Conc. Loc. cit. Cap.* 11.
(2) *Idem Conc. Trid. Cap.* 14.
(3) *Innoc. XII.* 4. *Novemb.* 1693.
(4) *Decr. Clem. VIII.* 15. *Mar.* 1596.

cognoscendi lapsum Interstitiorum exhibeant litteras testimoniales susceptorum Ordinum, maxime ultimi suscepti. Fidem ostendant exercitiorum Spiritualium in propria domo peractorum (1) spatio dierum decem; Ante susceptionem cujuscumque Ordinis Sacri exhibeatur quoque fides Baptismi, ut constet de legittima aetate (2). Quando necesse est, ut accedat dispensatio ab Interstitiis, haec habeatur in litteris dimissorialibus suorum Superiorum tamquam testimonium de causa legittima dispensandi, qua mature perpensa, Nos judicium rectum firmare possimus (3). Quando autem ipsi Regulares ad Subdiaconatum promoveri postulant, Nobis constare faciant authenticam testificationem suorum Superiorum de emissa solemni professione in Religione, ut valeant per illam titulum Ordinationis confirmare.

XIII. Postremo quod praecipimus de susceptorum Ordinum exercitio, sic volumus observari; Verumtamen hoc adjungi Nobis visum est quoad Exorcistas: Id munus namque exorcizandi nemo etiam Parochus, aut Religiosus sibi assumat, nisi prius facultatem a Nobis obtinuerit, quam certe non concedemus, nisi Sacerdoti pio, et quoad bonos mores probato; Qui tamen facultatem habuerit a Nobis, antequam praefatum praestet exercitium propriam conscientiam expiare, et Obsessi non modo animae, sed et corporis qualitates scrutari, atque genus Daemoniorum obsidentium orationibus, et jejuniis probare, et ejicere curet (4). Dictum porro exercitium non alibi, quam in Ecclesia horis diurnis, nec non januis apertis, et coram consanguineis, si exorcizandus habuerit, et coram aliis praestantibus viris tractare debebunt.

XIV. Ad Ordines quoscumque suscipiendos sine praevia Sacramentali Confessione nullus accedat, et in Pontificali Missa Eucharisticum panem unusquisque devote suscipiat.

CAPUT NONUM

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

I. Matrimonium, quod a mundi primordio tanquam naturae officium, et humanitatis solatium fuit a Deo institutum (5), ac postea, ut legis obsequium, et concupiscentiae remedium acceptum in nova lege a Christo Domino nostro initium habuit, ab eoque de con-

(1) *Lit. Encicl. Innoc. XI.* 1. *Feb.* 1610. *Per organum Sac. Cong. Conc.*
(2) *Sac. Cong. Conc. in Trixten.* 1. *Decemb.* 1733.
(3) *Eadem Sac. Cong. Conc. in Trixten.* 10. *Decemb.* 1594.
(4) *Marci Cap.* 9.
(5) *Genes. Cap.* 2. *Vers.* 22.

tractu mere civili ad Sacramenti dignitatem fuit elevatum (1), ut esset gratiae instrumentum, quae naturalem conjugum amorem perficeret, indissolubilem unitatem confirmaret, ipsosque conjuges sanctificaret, ac roboraret ad matrimoniale onus ferendum, tam in mutua charitate inter eos servanda, quam sobole in via mandatorum rite, ac sancte instituenda; Quare ut hoc sacramentum, quod ab Apostolo jure dicitur magnum (2), rite pariter, ac sancte contrahatur, haec, quae sequuntur, observari mandamus.

II. Parochi saepe suos doceant, quae ad matrimonium tam valide, tam digne celebrandum pertinent: Curent omni diligentia, ut Sponsalia, quae in matrimonio ineundo praemitti solent, fiant in scriptis, aut coram testibus, demonstrantes quoque ab iis nec facile ab alterutra parte resiliendum, nisi justa alioquin obstet causa. Celebratis Sponsalibus, si una pars in remotas abjerit regiones, Nos per partem praesentem moniti quoddam procul dubio statuemus tempus ad redeundum, intra quod, si non redierit, declarabimus parti praesenti, idque aegre ferenti in ejus libertatem esse cum alia persona contrahere; Post Sponsalia inter duas personas legittime contracta, neutri ex ipsis liceat eadem cum alia contrahere, eoque minus successive cum aliis sub poena arbitrio nostro imponenda, nisi rationabilis afferatur causa recedendi a prioribus Sponsalibus.

III. Ad Matrimonii celebrationem non est procedendum luxuriae causa, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Domini (3). Propterea ante Matrimonium Sponsis interdicimus omnem cohabitationem, et mutua colloquia familiaria, utpote admodum periculosa, et honestati, castitatiquae inimica, et maxime nocturno tempore; Quod si urbanitas quandoque suaserit, ut sese invisant, id raro fiat, et coram parentibus, aut proximioribus consanguineis; et Parochus interim nos certiores reddat, si male se ducant. Item prohibemus vesperam, aut noctem ante diem Matrimonii celebrandi transigere Sponsos ludis, et choreis, aliisque hujusmodi congressibus; Scire enim debent, Matrimonium esse Sacramentum, adeoque mature, ac devote se disponere opus esse, ac praeparare ad illius recipiendam gratiam: Qui vero contra attentare praesumpserint, salutaribus poenitentiis subjacebunt; et Parochi id scientes vereantur ipsos conjungere. Qua de re super hoc eorumdem Parochorum conscientiam oneramus.

IV. Parochi, priusquam Matrimonium celebretur, secreto, et sejunctim assensum denuntiationum utriusque Sponsi excipint, atque eos sciscitentur de praecisa voluntate, an sponte, et libere, vel minis, et timore ad nuptias inducantur; Quod si quis Parochorum quid in contrarium ab alterutro dignoscat, non progrediatur ulterius; In dubiis vero Nos consulat. Filios familias, cum sub potestate parentum, consaguineorum, aut tutorum sint, monemus in Domino, ne ipsis inconsultis, aut invitis, alicui fidem conjugalem paciscantur, nam majorem displicentiam eis dare non possunt filii familias, quam contra eorum voluntatem contrahere, vel petere nuptias; Congruum, et honestissimum est in re tanti momenti, quod filii, et filiae, quamvis matrimonium eis non impediri possit, parentum consulant assensum, quibus semper obsequium praestare debent, atque eorum voluntatibus obtemperare, ne absque consilio in malorum pelagum erumpant propter propriam velleitatem, et arbitratum. Ad bonum igitur providendum quoad hoc, Nos mandamus Parochis, ut in Matrimoniis contrahendis inter filios familias, exquirant parentum intentionem; si ipsi obstent, Nos certiores faciant, ut provideamus libertati Matrimonii, adolescentium utilitati, nec non obedientiae parentum, et interim ad ulteriora non procedant.

V. Postquam Parochus utriusque partis mandatum habuerit ex claro contrahentium permissu, deveniat ad Matrimonium publice proclamandum in Ecclesia inter Missarum Solemnia tribus diebus festivis non tamen immediatis (1). Cum non raro petatur dispensatio, ut saltem aliqua ex tribus denuntiationibus omittatur, et fortasse malitiose, Sponsos monitos esse volumus, a Nobis non aliter procedendum esse, quam ad Statutum Concilii Tridentini (2), et juxta normam ab eo traditam. Si aliquis ex Sponsis fuerit alterius Paraeciae, in utraque fiant trinae denuntiationes: Parochus vero, apud quem Matrimonium celebrari debet, qui ut plurimum esse debet Parochus Sponsae, ad illius celebrationem non deveniat assentiendo, nisi alterius Parochi tradant attestationem de praemissis proclamationibus, nulloque detecto impedimento. Quod si alteruter sit alienae Dioecesis, quamvis proprii Parochi adducat attestationem proclamationum, nisi Ordinarii sui authenticitate probetur testificatio, ea non admittatur; Quando Parocho proclamanti aliquod deferatur impedimentum, sive verum, sive dubium, sive falsum, a denuntiationibus statim silear, et rem ad Nos, vel ad Vicarium nostrum Generalem deferat, ut id consilii capiamus, quod in Domino videbimus expedire (3). In dispensationibus super impedimenta a Se-

l 2

(1) *Conc. Trid. Sess.* 24. *Can.* 1.
(2) *Apost. ad Ephesios* 5. *Vers.* 5.
(3) *Tobiae* 4.

(1) *Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Reform. Matrim.*
(2) *Idem Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reform. Matrim.*
(3) *Concilium Mediolan.* 7.

de Apostolica impetratis, Parochus non prosequatur ad ulteriora, nisi istae in nostra Cancelleria Generali sint exhibitae, et licentiam de prosequendis denuntiationibus a Nobis reportaverint. Si tribus denuntiationibus peractis, et nullum appareat impedimentum, et tamen intra duos menses Matrimonium non celebretur, Proclamationes iterum repetantur, nisi Nobis aliter videatur.

VI. Edoceant Parochi suos Parochianos saepe infra annum ea, quae pro recta, et religiosa proclamatione hujus Sacramenti scire debent; proclamationes ad impedimenta sive dirimentia, sive impedientia invenienda inter contrahentes jure Canonico statutas esse significent, moneantque scientes aliquod istorum, et tamen revelare desinentes lethali culpa esse detentos, ac reos, et participes omnium malorum, quae proinde oriri solent, nec non ad eorum restitutionem teneri; Haec quoque sibi facere illos, qui falso impedimento delato solutionem Nuptiarum malitiose deportant.

VII. Nescientes fidei mysteria, ac plane doctrinam Christianam ignorantes nullatenus in Matrimonio sunt conjungendi, donec ea didicerint (1). Inquirant quoque Parochi, an conjugandi pubertatem attigerint, quam in maribus annus decimus quartus; In foeminis exprimit duodecimus, et an Confirmationis Sacramentum receperint. Meminerint eorum conscientiam de hoc munere gravari, nec non strictam Deo pro his rationem esse reddituros. Eos igitur edoceant, instruant, arguant, increpent, ut decet; Quod si in addiscendo ipsi sint tanti hebetis ingenii, et memoriae labilis, ut post adhibitam diligentiam, illa, quae edocta sunt, nec memoriae retinere, nec recitare valeant, et tamen necessitas urgeat, referant Nobis, qui opportune providere non desinemus, prout necesse foret, meliori modo, quo fieri potest.

VIII. Vagorum, et incertas sedes habentium Parochus Matrimoniis non intersit, nisi prius diligentem fecerit inquisitionem, et re ad Nos delata (2). Exteros quoque in Matrimonium Parochus conjungere non valeat, quibus deest authentica testificatio de eorum statu libero, prout Sacra Congregatio S. Officii ordinavit (3). Comprehendimus quoque nostros Dioecesanos diu peregre commorantes, aut absentes a nostra Dioecesi. Conjugia Viduarum personarum non permittimus, si, adhibita omni diligentia, desinant esse authenticae testificationes rite probantes mortem conjugis absentis.

(1) *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. Lib. 8. Cap. 14.*
(2) *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 5. de Reform. Matrim.*
(3) *Instruct. S. Officii a Clem. confirm. Constit., quae incipit Cum alias.*

IX. Parochus Sponsos, qui eos in Matrimonium conjungere debet, admoneat, ne ad illud celebrandum accedant, nisi prius peccata sua confessi sint, ac debita proinde dispositione, Sacra Communione refecti, ut, ablato obice, uberrimos divinae gratiae fructus, qui in tam magno Sacramento conferuntur, recipiant. Propterea Matrimonium celebretur mane, et non vespere in Ecclesia Parochiali coram proprio Parocho (1); Quod si ipse impeditus existat, alii Sacerdoti probo vices suas delegabit. Haec delegatio vero in scriptis appareat; Nemo enim Sacerdotum sine tali Parochi delegatione, aut sine Nostra espressa licentia inscriptis semper concedenda Sponsos conjungere potest in Matrimonium. Tribus, vel saltem duobus testibus praesentibus mutuus Sponsorum consensus a Parocho interrogante, atque ab ipsis Sponsis expressus clare, et distincte innotescat; Ritus ab Ecclesia Catholica Romana praescriptus praecise observetur (2). Eodem tempore celebretur Missa pro Sponso, et Sponsa, prout constituitur in Missali Romano; Benedictio Sacerdotalis infra Missam, quibus competit, non omittatur, nisi temporibus, quibus Nuptiae sunt interdictae; Postremo Parochus Sponsis exponat brevi sermone, et honestis verbis, quid importet obligationis susceptum Matrimonii Sacramentum.

X. Aliquando celebratio Matrimonii exposcitur per Procuratorem ob absentiam alterius contrahentis. Id certe legittime celebrari potest, sed necesse est, quod mandatum procurae in Curia nostra Generali sit recognitum, et admissum cum necessariis requisitis, alias Parochus non adsistat.

XI. Sunt quidam, quos effraenis cupiditas ita excaecat, ut, posthabita tanti Sacramenti dignitate, spretisque salutaribus Ecclesiae praeceptis, furtive, atque ex improviso se Parocho presentant, coram quo, ac testibus vel secum adductis, vel casualiter praesentibus non verentur per verba de praesenti Matrimonium contrahere non sine gravi indignatione parentum, ac familiarum dedecore. Nos igitur, ne haec clandestina Matrimonia accidere possint, ea contrahentes in spretum Statutorum Conc. Trid. puniemus poena scutorum 50., et formalis detentionis in carceribus per mensem. Parochus vero, qui hujusmodi Matrimonio malitioso, vel supina negligentia adstiterit, aut tales conjuctiones prohibere contempserit, poenam decem scutorum subibit, et alias arbitrio nostro graviores.

(1) *Conc Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Reform. Matrim.*
(2) *Ritual. Rom. de Sacram. Matrim.*

XII. Temporibus, quibus prohibentur Solemnitates Nuptiarum, non contrahantur Matrimonia, nec fiant denuntiationes, nisi prius Sponsi a Nobis, vel a Vicario nostro Generali facultatem in scriptis obtinuerint; Concessa autem licentia celebrandi Matrimonium, quod uti Sacramentum omni tempore permitti potest, omni Solemnitate oblita, sine pompa debitis causis celebretur. Tempora Solemnitates Nuptiarum eliminantia, quae omnino observari mandamus, sunt ista, videlicet = Ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam = a Feria IV. Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive (1). Qui contravenerint, gravibus poenis erunt puniendi.

XIII. Sacramentum Matrimonii, quod Ecclesia Catholica reverenter semper celebrari jubet, non est absolute profanandum: Nos autem, cum aliquando in nostra Dioecesi illud irridere, et infestare sciamus strepitu, fragore, et immoderatis clamoribus, dum a Viduis, vel a Senibus contrahuntur Nuptiae, ideo haec fieri prohibemus (2) sub gravibus poenis pecuniariis, ac etiam carceris pro modo culpae, et contumaciae.

XIV. Si de validitate, vel nullitate Matrimonii in nostra Curia Generali disceptari contigerit, a Nobis, et ab officiali Magistro semper deputandus erit Matrimonii defensor (3), qui omnes officii sui partes diligenter adimplere satagat, eaque omnia serventur; prout his incasibus Benedictus XIV. in sua Constitutione mandavit.

XV. Quando aliqua causa, non ea quidam obvia, et vulgaris, sed gravis, urgens, et urgentissima exposceret, ut Matrimonim secretum, quod conscientiae dicitur, celebretur, id exequi tantum permittemus in scripta licentia Nostri, vel Vicarii Generalis, habita prius authentica justificatione de libero statu Sponsorum. Parochus, seu alius Sacerdos a Nobis deputatus pro hujus Matrimonii adsistentia contrahentes moneat, quod sobolem procreandam tamquam legittimam agnoscant; Sacro Baptismatis Lavacro regenerari curent, eamque Christiane edoceant, nec non frui patiantur bonis temporalibus provida legum auctoritate delatis = Celebrato Matrimonio, statim nomina, cognomina contrahentium, testium, locum, et nomen Sacerdotis ipsius notentur cum die, mense, et anno, et secreto in libro, quem in nostra Cancelleria servari mandamus in capsula clave munita; Et interim Nos certiores reddat, qui illud celebravit. Tandem Nobis Parochus ex hoc Matrimonio natam prolem denuntiet, ut in eodem libro secreto describi possit, et sic quando necessitas expetierit de nostra licentia fides, ad quos pertinet, dari possit; Instruantur etiam Conjuges, ne de secreti violatione conquerantur, si nata prole, ea, quae statuimus, non observent intra dies triginta, quia tunc Nos ipsi tale matrimonium evulgari mandabimus.

(1) *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 10. de Reform. Matrim.*

(2) *Bened. XIV. Constit. 3. Novembris 1741. Incipit Dei Miser.*

(3) *Idem Pontifex die 17. Novembris 1741. Constit. incipiente = Satis Verbis =.*

XVI. Parochi Matrimonia publice contracta adnotare tenentur in libro ad hunc finem bene compacto ad normam Ritualis Romani, et illico, ne propter oblivionem aliquid inconveniens cum damno notabili evenire possit, et qui neglexerit hoc adimplere, arbitrio nostro erit puniendus.

XVII. Si aliquando Conjuges absque legittima causa, et auctoritate a mutua consuetudine se separaverint, maritalemque convictum recusaverint; Parochus studeat, ut ad vitae societatem revertantur, et si in duritia cordis permanserint, rem ad nos referat, ut opportuno remedio consulere possimus.

CAPUT DECIMUM

DE EDUCATIONE FILIORUM.

I. Cum Matrimonium, quod à Clementissimo Redemptore nostro, ut superius diximus, fuit ad Sacramenti dignitatem elevatum, sanctificantem gratiam digne suscipientibus conferat, confirmet, et roboret ad Matrimoniale onus ferendum, nec non ad sobolem in via mandatorum rite instituendam, ac manuducendam; Hinc Parochus, ne tanti mysterii inscii homines ad illud, tanquam ad humanum aliquod opus aggrediantur, fideles in matrimonio conjungendos edocebit, quanta sit eorum obligatio praecipue circa filios, si eis Deus dederit.

II. Curent igitur, qui in Benedictionem Dei filios è matrimonio recipiunt, illos non victu alere tantum, aut vestimentis induere, sed erudire à pueritia, et ad bonos mores impingere; Ad hoc tamen Christianae moderationis exemplum Genitorum confert maximopere.

III. Insuper optabile quidem est, ut quos filios luci dederunt, proprio lacte Matres ipsae nutrire non renuant (1), plurimum enim ad temperatos mores conducit boni lactis alimentum; Propterea Filii, dum in tenella sunt aetate, numquam ante completum annum in lecto absque sufficienti repagulo detineantur sub gravis criminis reatu, cujus absolutionem Nobis reservamus; Si vero sint grandiusculi, ac aetati usus rationis proximi, lectum communem habere non patiantur, neque parentes in proprio secum simul

(1) *S. Joannes Chrysost. homi. 10. Psalm. 50.*

detineant, ne malitia mutet intellectum; Sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (1).

IV. Masculi cum foeminis insimul familiarissime tractare non permittantur, eo minus in eodem cubiculo, eodemque lecto dormire, licet in puerili aetate consistant. Id summopere post annum tertium Patribus interesse debet praesertim erga masculos; Non permittant eos liberius vivere ludo, et delectationibus immoderatis assuescere, nec vitam otiosam agere; Si negligentes super hoc Parentes fuerint, reos lethali culpa se esse intelligant. Matres, quae magis assiduae domi insident, puellas caute custodire invigilent, juvenum frequentiam, quae puellarum simplicitatem facile tollere posset, non permittant; Assistere eis ne desinant propter bonum animae, et propter honestatis odorem earumdem cautissime servandum. Operari fas est cum illis consilio manuum suarum, doceantque eas timorem Domini. Si vero exemplo pravo aliqua deliquerit, vel quia Mater oscitaverit vigilandi munus, super se sciat judicium durissimum fieri, ac strictam Deo rationem reddere.

V. Tenentur parentes liberos diligere, sed etiam corripere, arguere, reprehendere, eo magis si in disciplina, et timore Domini noluerint abire, sed eos corripiant semper in termino rectitudinis, atque profectus, in clarae mentis acie, non frustra, et ebrietatis impulsu, tunc proinde non ad bonum, nec ad correptionem mali, sed absolute ad iracundiam provocantur à parentibus (2); Sed ne parentes occasionem habeant eos tam sepe arguendi, vel aliquando etiam inhumaniter cedendi, studeant potius sub recta viri disciplina eos instruendos tradere, ut à primis annis Deum timere doceant, et abstinere à peccato (3); Curent etiam eos praecedere, vel potius ducere ad Ecclesiam adeuntes singulis diebus festis, gratia audiendi Sacrum, Verbi Dei praedicationem, aliaque nostrae Religionis mysteria.

VI. Deinde si fuerint in aetate ad sequendam Dei vocationem, in vitae statu eligendo, illos nedum adjuvent, et pro viribus idoneos faciant, sed caveant genitores, ne invitos eos adigant ad vitae institutum capessendum, quod illis non arrideat, adeoque neminem cogant, aut vetent Ecclesiasticos Ordines petere, Regularem professionem emittere (4), Caelibatum servare, vel Matrimonium inire (5).

(1) *Genesis Cap.* 8. *Vers.* 21.
(2) *Ap. Ep.* 2. *ad Cor. Cap.* 12.
(3) *Tobias Cap.* 1. *Vers.* 10.
(4) *Concil. Trident. Sessione* 25. *de Regular. Cap.* 18.
(5) *Synod. Card. Spad. Part.* 2. §. 25.

VII. Postremo parentes tenentur pro filiis facultates pro suo statu, et conditione augere. Quapropter dilapidare ipsis eo magis prohibetur, unde praeter quod ipsis subministrant ad actualem vitae substentationem tenentur etiam pro viribus elaborare, ut filii artes proprio statui congruentes addiscant, et quidquid manuum labore, et industria sibi parant, non impendant in comessationibus, ebrietatibus, et impudicitiis (1), ex quibus teterrima mala in liberos humili praesertim loco natos in dies dimanare videntur.

VIII. Hortamur ergo genitores, et cum ipsis consanguineos, aliosque, ad quos educatio filiorum incumbit, et rogamus in Domino Jesu Christo, liberos à Deo tanquam pretiosa pignora sibi creditos caute custodire, eosque ad Dei gloriam sedulo in viam salutis dirigere, enutrire, et educare, ne aeternam damnationem cum infidelibus mereantur: Etenim qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem non habet, et est infideli deterior.

m

(1) *Apost. ad Romanos Cap.* 13. *Vers.* 13.

PARS TERTIA
CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

CAPUT PRIMUM

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

I. Cum nihil sit, quod gregem nostrum dilectissimum ad pietatem, Religionem, et Christanae vitae institutionem efficacius instruat, excitet, et inflammet, quam eorum exemplum, qui in sortem Domini vocati, et tanquam lucernae super Candelabrum sunt positi; Idcirco eos oportet non solum induere justitiam (1), ut Populi in eos tanquam in speculum conjicientes oculos ex iis sumant quid imitentur (2), sed etiam eorum labia custodire scientiam, ut legem requirant ex ore eorum (3), sicque praebeant se ipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, et gravitate. Hinc ut Clerici omnes nostrae curae commissi tales revera sint, et quoad se, et quoad Populum, de eorum vita, et honestate ea, quae sequentur, esse arbitramur constituenda.

II. Mandamus igitur Ecclesiasticis omnibus, ut digne ambulent per semitas rectas mandatorum Dei; Idcirco eos hortamur, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ne spiritus eorum torpescat, ut saepissime orationi maxime mentali tempus impendant, in qua omne sordidum, et maculatum clarius, quam quid corporeum in speculo, videri potest, et emendari; Spirituali lectioni vacent, atque in aliquo sacro recessu, vel Religiosorum domo semel tantum in anno se includant fervide sacris exercitiis incumbentes, sacras litteras, Canones, ritus, nec non sacros libros, quos asceticos vocant, assidua lectione revolvant, ut ex his discant eminentiam, scientiam Jesu Christi (4), et ea omnia, quae ad viros Ecclesiastici ordinis, et gradus attinent, non praetermissa cantus Gregoriani lectione, ac tandem se ipsos Doctrinam Christianam edocendo pueros assuescant, et in instructionibus, et praedicationibus operam navare curent.

III. Praeterea cum omnes, qui in sortem Domini vocati sunt, gestum, incessum, habitum, totumque corpus componere ad modestiam debeant (5), ideo mandamus, ut illi coronam, et tonsuram habeant congruentem, prout alio loco innuimus de Sacramento Ordinis

(1) *Psalm.* 131.
(2) *Conc. Trid. Sess.* 22. *de Reform. Cap.* 1.
(3) *Malach. Cap.* 2.
(4) *Apost. ad Philippens. Cap.* 3.
(5) *Cap. Clerici* 15.

tractantes, nec eos in vestibus gestent ornatus, unde profani magis videantur, quam Ecclesiastici. Vestis sit nigri coloris, nisi forte ipsis itinerare contigerit, quo in casu modeste induantur non huic saeculo conformantes; Collare semper gestent, a cujus tamen forma collaria laicorum, et curialium distinguantur, sicut novissimum Concilium Romanum praescripsit (1). Qui post primam tonsuram, vel Ordines minores habitum semel assumptum non de licentia nostra dimiserit, iterum reassumi vetamus, nisi nova licentia a Nobis concedatur, alias prout de jure declarabimus, eum Clericali privilegio non gaudere; Nullus Sacerdos comam nutriat, neque fictitiam, nisi de nostra licentia adhibeat. Clerici itidem in Sacris ordinati, aut gaudentes Ecclesiatico beneficio, quamvis exiguo, aut pensione, semper incedant in habitu, et tonsura Clericali sub poenis arbitrio nostro infligendis, et gliscente contumacia, etiam sub poena suspensionis.

IV. Ab omnibus fas est Ecclesiasticas personas se abstinere, quae superinductis vitiorum tenebris vitae sanctitatem obnubilant; Qua de re parum fecisse videntur, si regulas dumtaxat a Sacris Canonibus positivas ordinatas observarent; Ideo omnibus Ecclesiasticis vetamus in publicis officinis, et apothecis moram facere (2), ita et in foro otiosos consistere; est quidem res planctu digna lapides Sanctuarii in capite omnium platearum videre (3). Prohibemus quoque illos in caupones, et tabernas publicas, ubi vinum venditur, ingredi, nisi in itinere; Ebrietatem, quae omnium vitiorum fomes, et nutrix est, diligentissime evitent; Unde si quis ex Ecclesiasticis indulgendo ebrietatibus similis factus illis appareat, qui bibunt vinum, et naturae desideria explere nituntur non ad sobrietatem, sed ad satietatem, et in publicis viis, aut plateis ebrius reperiatur, sciat poenam incurrere scutorum decem pro unaquaque vice, atque si opus fuerit formalis etiam carcerationis (4), nullo habito respectu ad Ordinis decorem, quem ipsemet magno cum scandalo graviter laeserit; Si autem ex consuetudine correptus non resipuerit, ad suspensionem a divinis procedemus, ab Altari eum removendo, si fuerit Sacerdos, et si Clericus ad altiores Ordines numquam ascendet.

V. Quamvis Sacerdotibus, et Clericis aliquando ludus ad spiritum subievandum permittatur (5), attamen non quicumque ludus est

(1) *Conc. Rom. Tit.* 16. *Cap.* 4.
(2) *S. Carolus in Monit. ad Cler. Cap. a Crapula.*
(3) *Thren. Jeremiae Cap.* 4.
(4) *Conc. Trid. Sess.* 24. *de Ref.*
(5) *Divus Thom.* 2. *Quaest.* 168. *Art.* 2.

intelligendus, nec ubique ludere est eis licitum; Propterea eisdem prohibemus solummodo quemdam alearum ludum, illum taxillorum, aliorumque similium, in quibus sors potissimum dominatur, et quem Italice dicimus = Giuoco di resto = Nos enim huic ludere, neque lusoribus adstantes esse patiemur, etiam si clanculum luserint, vel hujusmodi ludi privati spectatores fuerint; Unde, qui contravenerint, poenam scutorum decem pro unaquaque vice erunt irremissibiliter subituri, contra quos statuimus procedi posse etiam per inquisitionem, et ubi duo testes de ludo supra vetito deposuerint, poena exigetur = Si vero Ecclesiastici, seu Clerici, aut publicis in tabernis, aromatariis, aliisque officinis, aut in domibus publico ludo destinatis, tam clausis, quam apertis januis, sive frequenter, sive ad multas horas licitis etiam ludis vacent, punientur poena pecuniaria, et etiam poena carceris.

VI. Denuntiamus Sacerdotibus, et Clericis praecipue ad Sacros Ordines promotis juxta Sacrorum Canonum decreta (1), ne suam operam laicis personis praebere audeant in profanis, et secularibus ministeriis, aut negotiis; Permittimus autem ad propriae vitae sustentationem, nec non ad otium declinandum aliquid agere in agris, et vineis patrimonialibus, et beneficiorum suorum (2). Caveant tamen, ne ligones, et alia hujusmodi ruralia instrumenta manibus propriis laborando, pertractent, et ne Deo dicati enormiter sordescant in agrorum cultura, et vinearum, neque indecorum, et quodcumque vile assumant, ne vituperetur ministerium nostrum.

VII. Abstineant ab illicitis negotiationibus, qui Deo militant, ut ei placere possint; Exercentes enim mercaturam, vel negotiationem Clerici punientur poenis a jure statutis, et aliis arbitrio nostro, quamvis per aliam interpositam personam laicam, licet fratris, et alterius consanguinei id faciant, vel etiam ex charitatis impulsu pro suis sustentandis (3), nisi de Apostolicae Sedis dispensatione Nobis ostensa fuerint muniti. Praedia aliena, nec directe, nec indirecte ducant ad fructuum mercimonium; Cambia activa, quamvis licita instituere non praesumant (4), quidquid dari possit sub quolibet titulo, aut colore, sub nomine etiam haereditatis, agant pro administratione, sed statim renuntient (5). Et si aliquod praejudicium ex hoc evenire possit temporale, recursum habeant ad Sacram Congregationem Concilii ad congruum tempus implorandum, sed interim non per Clericos, sed per laicos administrari jubemus; Impossibile autem fere dici potest servitutem debitam Deo exhibere, et simul negotiis secularibus se implicare.

(1) *Cap.* 2. *Sacerdotibus, et Cap. Clerici.*

(2) *Sac. Cong. Conc.* 14. *Novembris* 1628.

(3) *Cap. Clerici. Bened. XIV. de Synod. Dioeces Lib.* 10. *Cap.* 4. 6.

(4) *Sac. Cong. Concilii et Bened. XIV. de Synod. Dioeces.*

(5) *Cap. Clerici Tit. de Cler. relat.*

VIII. Non licet Clericis, qui sunt mediatores a Christo Domino relicti in terris apud Deum, ut ei reconcilientur peccatores, exercere officia, et munera advocati, procuratoris, et Judicis in Tribunali seculari tam in criminali, quam in civili judicio praeter casus permissos, nec in causis criminalibus nullum ferre testimonium coram Judice Laico sine Apostolicae Sedis licentia sub poena scutorum quinquaginta, et quatenus opus sit etiam suspensionis; In civilibus vero nonnisi de licentia Nostra, aut Vicarii nostri Generalis examinari permittantur, ac praestito prius juramento de veritate dicenda in Curia Nostra Episcopali, vel in manibus personae Ecclesiasticae rite deputandae.

IX. Nemo Clericorum larvatus incedat, aut larvatis sociare praesumat, sive die, sive nocte, neque choreas, aut profana spectacula prosequi possit, neque cum mulieribus saltare, vel eis brachium porrigere per plateas, viasque deambulando: Vetamus quoque ipsis comoedias agere, aut dirigere, itemque cooperatores fieri in ipsis tam publicis, quam privatis theatris, eisdem interesse, nec non profana cantica, quod in ore Ecclesiasticorum pudet, modulari cytharas, aut alia similia instrumenta pulsare, ac postremo domum ministrare pro supradictis, et similibus profanis excessibus, sub quovis praetextu, etiam nomine consanguineorum secum cohabitantium pariter prohibemus.

X. Clericis arma gestare non liceat etiam praetextu venationis praesertim clamorosae, quae ipsis omnino interdicitur (1), unde quilibet Clericus in Sacris constitutus, et si sclopum deferendi licentiam obtinuerit, et cum eo deprehendatur venatione clamorosa, multabitur poena scutorum = 25 =, et etiam poena carceris. Licitas vero, et quietas venationes, ad quas habendas necessarius est sclopus, non prohibemus, dummodo non nimis frequenter eas exerceant, ac ab eis diebus festis se abstineant; Arma vero proditoria, et detestabilia, quae etiam secularibus sunt interdicta, omnino, et in quolibet casu sub poenis praescriptis in suis Constitutionibus a Summis Pontificibus cuilibet Clerico, cujuscumque sit gradus, et conditionis deferre vetamus. Non desunt arma Clericis; Induant armaturam fidei, ut constantes in bello resistere possint, et pugnare cum antiquo serpente, ac potestatem inimicorum omnium in spiritualibus adversus eos consurgentium expugnare possint.

(1) *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. Lib.* 5. *C.* 12. *N.* 1.

XI. Ad fori privilegium a Clericis gaudendum in minoribus Ordinibus initiatis, etsi nullum ipsi possideant Ecclesiasticum beneficium, necesse est, ut illi habitum, et tonsuram clericalem gestent, atque Ecclesiae, cui addicti sunt, inserviant, alias, nulla intercedente declaratione, ipso jure spoliatos esse animadvertemus (1). Caetera vero privilegia Clericalia semper firma remanent sub dispositione juris, quibus gaudere valeant, nisi expresse declaretur privatos esse (2); Privilegio fori gaudent Clerici Beneficiati, quamvis in habitu, et tonsura non incedant, nec alicui Ecclesiae servitium praestent; Attamen nec fructus Beneficii percipere, ac retinere possunt absque ulla declaratione, satis est enim, ut in habitu laicali incedant (3). Hujusmodi privilegio fori gaudent etiam Clerici conjugati, si cum unica, et virgine contraxerint Matrimonium, dummodo Clericorum more in habitu, et tonsura se gerant, et suum pluries in anno alicui Ecclesiae servitium praestent, aut aliquod ministerium exerceant in Ecclesiae illius servitutem tanquam deputati ab Episcopo. Tale privilegium prosequitur Clericos conjugatos in causis mere civilibus, et mixti fori (4).

XII. Contra bona Ecclesiasticorum, piorumque locorum nullus Laicalis Judex, aut Curiae minister lata exequi praesumat mandata quocumque titulo firmata, etiam in vim Manus Regiae, si deficiant in consueta firma = Exequatur = de manu Nostra, aut Vicarii nostri Generalis, sive alterius Judicis competentis Ecclesiastici declarata. Qui deliquerit, poenas incurret a Sacra Congregatione contra immunitatem Ecclesiasticam violantes firmiter statutas (5).

XIII. Quaecumque Dignitas, quicumque Canonicus, Presbyter, aut Clericus cujusque ordinis, et conditionis ab hac nostra Dioecesi non recedant sine Nostra, aut Vicarii nostri Generalis licentia in scriptis, quamvis devotionis causa ad Apostolorum Limina, seu quocumque peregrinari intendant; Quapropter contra inobedientes, et post diem tertium eorum absentiae Nobis inconsultis, poenam quinque scutorum aureorum de Camera statim post regressum solvendorum absolute statuimus, nec non majores, gravioresque poenas infligemus.

XIV. Cum universus Ecclesiasticorum coetus, licet nullo gaudeat Beneficio Ecclesiastico, sive communiter, sive singulariter Deo in Ecclesia, ubi est addictus, in vim caractheris, et eidem Ecclesiae propter Deum servire debet, omni sublata humanae mercedis cupiditate, eo quod ipse Deus erit merces magna nimis; Congruum proinde videtur, ut unusquisque Presbyter, vel Clericus, singulis diebus festis, etsi plures sint in unum congregati hymnos, et cantica spiritualia choraliter corde, et animo persolvant ad Dei laudem, ad Ecclesiasticum decorem augendum, nec non ad fidem, venerationemque in populo excitandam. Ad quae sedulo pertractanda Nos eos monemus, ne invanum, vel tantum nomine Ecclesiastici sint. Solemnioribus vero festis diebus, quae ab Ecclesia per anni circulum universaliter celebrantur, et quae sive de praecepto, sive ex devotione communi voto, communique veneratione solemniter celebrari solent, praecipimus, et stricte mandamus singulis Presbyteris, et Clericis, ut ibidem celebrent, sacris functionibus universis intersint, et caeteros in bono exemplo, et fervore spiritus antecellant. Vetamus proinde dictis diebus ab Oppido discedere sub quovis praetextu, aut colore, exceptis, qui ex officio, et de Nostro consensu aliunde celebrandi gratia abire teneantur, aut infirmis ministrandi Sacramenta; Erit propterea Rectorum Ecclesiarum onus, librum ad hunc effectum penes se retinere, ubi fideliter diem, mensem, et annum cum nomine absentium describant, quem in Sancta Visitatione perlustrare possimus; Indignum est enim his sanctissimis solemnibus diebus, quos populus mirabili devotionis impulsu prosequi conatur, Ecclesiam Sacerdotum, vel Clericorum suorum pati absentiam, adeoque contraventores rigore punientur.

XV. Clerici universi, qui mundo sunt velut mortui, quorum vita spiritualis universimode esse debet, et cum Christo abscondita, mundanas varietates suscitari non curent, ac oculos a quibusdam objectis avertant, ne videant vanitatem, ut transacto cursu vitae hujus, ea videre digni habeantur in lumine viventium, ibique sua fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia (1). Ne igitur tam facilis erumpendi in malum ipsis pateat accessus, quantum Nobis est, a periculosis objectis illorum oculos abstineri cupimus; Quapropter nullus Clericus edoceat puellas legere, scribere, canere, instrumenta pulsare, aut pingere, aut mulieres quascumque sine nostra expressa licentia, quam difficiliter concedemus.

XVI. Sanctitas Ecclesiasticorum, quos irreprehensibiles esse oportet, tanti ponderis, et splendoris esse debet, ut apud Deum nota sit, et apud homines; Eorum enim vita clarior speculo sine macula propriae ope-

(1) *Concil. Trid. Sess. 23. C. 16. de Ref. C. unic. de Cleric. Conjug.*

(2) *Sac. Congregatio Conc. in Alatri: Jurisdict. 27. Martii 1623. in Conpen. 21. Junii 1644.*

(3) *Fagn. in Cap. inter Caetera Christus V. Constit. cum Sacrum.*

(4) *Sacra Congregat. Immunitatis.*

(5) *Sac. Congreg. Immunitatis apud Ric. verb. executio.*

(1) *Oratio Missae in Dominica 4. post Pasch.*

rationis radios ad alios remeare incontaminatos oportet ; Ac uno verbo candidiores nive, nitidiores lacte. Cum mulieribus non sint coinquinati, sequentes agnum semper sancti erunt Deo suo, ut non polluant nomen ejus; Hinc ergo omni studio, et solertia quidquid sordidum, aut impurum ab ipsis est refellendum, ne sanctitatem, et Coelestem Clericorum vitam contaminare exordiatur ; Et reapse merito pudeat virum vocatum in sortem Domini aliquid turpe elicere, cum nil horribilius nefanda libidine ab eo haurire ; Propterea Nos pro sanctitate, honestateque Ecclesiasticorum tuenda, stricte praecipimus, et mandamus omnibus Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, aliisque Clericalem vitam agentibus, ne audeant in eadem domo habitantes communem vitam ducere cum mulieribus etiam honestate praeditis sine nostra speciali licentia in scriptis, exceptis consanguineis usque ad secundum gradum inclusive, et affinibus usque ad primum (1), eo quod naturae foedus nihil permittat saevi criminis suspicari. Caeterum praedictis consanguineis, et affinibus deficientibus, nefas sit iisdem Ecclesiasticis, quod habeant ad domestica ministeria famulas, nisi aetate quadragenaria majores, et quidem probae famae, pro quibus nostram postulent approbationem; Quod si aliqua suspicio de eis habeatur etiam per simplicem verborum relationem ab aliqua proba persona, cum eis cohabitare licentiam absolute denegabimus ; Quinimmo, si posthabito permissu mulieres domi retinendi, aliquod contubernium apud prudentes viros male oleat, quamvis provectae aetatis sint mulieres, aut arctiori vinculo sanguinis unitae, cohabitationem non tollerabimus. Postremo vetamus Ecclesiasticis cujuscumque ordinis domos mulierum suspectarum adire, aut eas ad se vocare, seu quomodolibet cum eisdem conversari sub poenis à Concilio Tridentino sancitis tam contra Clericos beneficiarios, quam non beneficiarios, et aliis arbitrio nostro pro modo culpae (2). Interim omnes Ecclesiastici ordinis hortamur, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut in viam mandatorum Dei currant. Caeteris exemplo virtutum excellentiores fiant, ne qui foris sunt, habeant aliquid malum dicere de nobis.

(1) *Bened. XIV. De Synod. Dioec. Lib.* 11 *Cap.* 4.

(2) *Conc. Trid. Sess.* 25. *de Reform: Cap.* 14.

CAPUT SECUNDUM

DE PAROCHIS, EORUMQUE OBLIGATIONIBUS.

I. Licet omnia, quae huc usque in hac nostra Synodo sancita sunt, ad solertem Pastoralis officii administrationem pertinere dignoscantur, non tamen muneri nostro satisfecisse censuimus ; nisi alia de Parochi ministerio disertius, ac firmius ediceremus : Parochi enim grave pondus sustinent de animabus sibi concreditis (1), adeoque Nos eos alloquimur specialis cordis affectu, ac propemodum singulari sermone, ut hinc saltem intelligant in cura pastorali praecipuos esse Episcopi coadjutores, continuoque perpendant ab eis Dominum strictam rationem pro illis sciscitaturum, et pereuntem ex culpa sua de manu eorum requisiturum fore, unde ad hoc ut informentur, et suum valeant officium adimplere, quae sequuntur sancimus, atque statuimus.

II. Illi in primis ad Ecclesiarum regimen in munere Parochiali erunt absolute evecturi, qui Nobis digniores videbuntur (2) nullo habito respectu ad ea, quae sunt ab extrinseco ; Parochi, qui sunt noviter electi, priusquam suae Paroeciae possessionem sibi faciant, recogitent in abscondito quid sit animarum cura. Supremum interea per aliquot dies in spiritualibus exercitiis orent Patrem luminum, ejusque bonitatem deprecari non desinant, ut suum ad eos de Coelis auxilium dignetur emittere, pariterque docere charitatem, sollicitudinem, et diligentiam, quibus commissum gregem dirigere oporteat, ne pereat ex eo quisquam, sed omnes, quos complectitur, habeant vitam aeternam (3) ; In verae humilitatis spiritu, animique fervore exponere queant sine speciali Sancti Spiritus illustratione nil posse operari, nil agere ad opus, ad quod Deus ipse assumpsit eos.

III. Et quoniam animarum Rectores munus suum adimplere non possunt, nisi personaliter resideant, propterea eis unquam abesse liceat à sua Parochiali statione ultra duos dies (4) absque Nostra, vel Vicarii Generalis licentia concedenda causa urgenti, et rationabili per Nos approbanda, atque idoneo relicto Sacerdote, qui Parochi vices gerat, habita prius nostra approbatione, alias praeter reatum culpae poenam incurrent amissionis fructuum, alias-

n

(1) *Cap.* 1. *et Cap. ad haec de officio Archidiaconi.*

(2) *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 18. *de Reforma.*

(3) *Joannes Cap.* 17. *Versu* 9.

(4) *Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Reform. Conc. Rom. Tit.* 17. *C.* 6.

que, si in absentia forent duraturi. Diebus solemnioribus unquam abesse permittimus, quamvis per biduum, et absentes spatio etiam unius, et alterius diei Sacerdotem Confessarium probum substituant. Extra fines suae Paroeciae Parochis non permittimus residere, nisi, deficiente domo, necessitas urgeat: Neque eorumdem residentia sit otiosa, sed iidem omnino, ac sedulo suum adimpleant munus. Nemo proinde Parochorum sine nostra licentia in scriptis Coadjutorem, seu Capellanum Curatum sibi assumere intendat, ne mercenariorum incuriam grex patiatur; Quod si jus, aut necessitatem habeant Capellanum, aut Coadjutorem, seu Vicecuratum detinendi ad animarum curam exercendam per Nos approbatum, sciant non debere à se tantum opus excutere, sed illo in supplemento uti, aut Paroeciae pondus cum eo partiri, quando per ipsos exercere non valent (1). Quapropter semper se ipsos paratos exhibeant ad Sacramenta ministranda, neque ulla demum in re patiantur officium suum desiderare.

IV. Parochi singulis diebus Dominicis, et festis infra annum celebrent non alibi, quam in propria Ecclesia Parochiali (2) hora congruente, Missam diebus festivis de praecepto applicare tenentur pro populo, quamvis praesentia cadaveris Missam de Requiem expostulet. Nam Parochi dictis diebus non possunt alteri Sacerdoti Missam pro populo celebrandam committere, et ipsi pro defuncto canere, vel celebrare Missam lectam (3) ad alium diem transmittere applicationem pro populo; sub nomine dierum festorum de praecepto comprehendantur quoque dies, quae à S. Memoria Pii VI. abrogatae fuerunt (4). Festa enim hujusmodi abrogata sunt quoad praeceptum audiendi Sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus, non autem quoad sacras functiones, quas firmiter observari mandat in Ecclesiis, prout in praeteritis oneribus, adeoque Parochi pariter his diebus pro populo applicare tenentur; In Ecclesiis vero Capitularibus, quando Archipresbyter canere debet Missam Conventualem pro benefactoribus, ac per consequens applicare nequeat pro populo, uti Parochus, tunc tute alteri eodem die demandet Missam celebrandam, et applicandam pro populo, servato decreto Sac. Cong. Concilii quoad eleemosinam impertiendam (5).

(1) *Cap. Extirpandae S. Cong. Conc. in Grosset.* 16. *Septemb.* 1645.
(2) *Sac. Cong. Conc. in Lucana.* 15. *Septemb.* 1625. *et* 17. *Novemb.* 1629.
(3) *Sac. Cong. Conc. in Fesulana. Mis. Paroch.* 26 *Januarii* 1771.
(4) *Pius VI. Decr. de Abrog. Fest.* 23. *Maii* 1798.
(5) *Sac Cong. Conc. in Viterb.* 31. *Martii* 1708.

V. Aquam lustralem Dominica die benedicant, et in Missa Parochiali ad normam Ritualis Romani, et Missalis, quatenus Ecclesia non sit Capitularis, quia tunc in Missa Conventuali populum aqua benedicta aspergant. Nec suo tempore consuetas benedictiones Sacramentalium ab Ecclesia praescriptas omittant, scilicet Candelarum in festo Purificationis B. M. Virginis, Cinerum feria quarta post Dominicam Quinquagesimae, et Palmarum Dominica Hebdomadae majoris; Itemque signa salutationis Angelicae mane, meridie, et vespere, candelas, et palmas antedictas non transmittant ad saecularium domos sub quovis praetextu, aut consuetudine, exceptis iis, qui legittime impediti ad Ecclesiam accedere non potuerunt (1). Petulantiam, et irreverentiam à templo Dei maxime tempore eorumdem sacramentalium distributionis compescant monentes populum, ut devote, et submisse recipiant res benedictas, semper memores, quod domum Dei deceat sanctitudo, cum sit domus Orationis, in qua orat Sacerdos, et Dominus sibi soli reservaverit in domum sacrificii. In triduo majoris Hebdomadae singulas functiones exerceant, et benedictionem domorum in Sabatho Sancto non omittant, atque in commemoratione omnium fidelium defunctorum post Missam absolutionem faciant pro animabus omnium defunctorum, quorum corpora eorum in Ecclesiis tumulantur.

VI. Inter Missarum Parochialium celebrationem populo Evangelicae lectionis pabulum administrent unaquaque Dominica die; In praecipuis solemnitatibus, ut alibi innuimus, recurrentia mysteria explicent, devotionem, venerationemque erga Deiparam Virginem, et Sanctos promovere, et augere studeant; Consuetas devotiones, et pia exercitia laudabiliter instituta conservent. Commendabile signum per campanae pulsationem circa primam noctis horam, quo fidelium pietatis opera revocantur ad suffragandas defunctorum animas, non desinant.

VII. Parochi majori caeterorum studio, et sollicitudine Ecclesiae decorem, nitoremque augere, et conservare debent, cum eidem tanquam sponsae sint stricte conjuncti (1). Ecclesia enim in terris Coelestem Urbem Jerusalem significat, ejus in circuitu invisibiliter mille cingitur Angelorum millibus, quinimo ipse Rex Angelorum sacramentaliter vera, et reali sua divina praesentia cum Majestate residet in Templo. Hoc itaque satagant Parochi exercere,

(1) *Conc. Med. III. Part.* 3. *Tit.* 1. *et Barb. de officio Paroch.*
(2) *Pulchr. distinct.* 86. *Tit. de Paroch. in Conc. Med.* 3.

ne Dominus noster in Templo suo loco nitoris, et pulchritudinis Parochorum incuria, et culpabili oscitantia inveniat quod oculos suae Majestatis offendat (1).

VIII. Parochi rursus, quantum sint humana fragilitas, bonum omnibus praebant exemplum, atque irreprehensibiles sint forma facti gregis ex animo (2). Verumtamen ad haec singularum virtutum studia potissimum reducuntur, ut partes boni Pastoris adimpleant, scilicet ad sollicitam Sacramentorum administrationem, et ad charitatis thesaurum, cum id praecipue colentes nemini per eos dari potest admirationis ratio, nec murmuris argumentum; Nos igitur eos monemus, ut in Sacramentorum administratione prompte, ac reverenter intendant; Eadem vigilantia, eademque charitate se ipsos divitibus, et pauperibus praebeant; Personarum acceptationem abhorreant, sed indistincte omnibus omnia facti appareant. Suorum Parochianorum Confessiones excipiant, ad eorum requisitionem parvulos, et adolescentes amanter ad se venire compellant, eosque timorem Domini edoceant, quos bene instructos reperierint ad Coelestis agni dapes, praemissa Sacramentali Confessione, assuescant, ne diu hoc sacro convivio privati remaneant. Aegrotantium domos adeant, ne quis eorum culpa sine Sacramenti Eucharistici refectione, aliisque Sacramentis e vita discedat (3). Si quis autem propter eorum negligentiam, sine Sacramentis, aut sine adsistentia obierit, ad Nos referatur, quod jubemus in virtute S. Obedientiae; et Parochos delinquentes ultra Divinam ultionem puniemus eos obligando ad exercitia spiritualia spatio triginta dierum in aliqua Religiosorum domo, vel in aliquo sacro recessu, aliisque poenis gravioribus etiam pecuniariis, prout deficentia charitatis, et omissio debitae vigilantiae exquisierit (4), ne exemplo impunitatis talis negligentia in damnum transeat animarum. Rectores animarum propterea caveant, ne de ipsis dici possit cum Propheta dolente super Pastores Israel = Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis (5). Non quaerant, quae sua sunt tantum, sed quae Jesu Christi; Non semetipsos indebite pascentes, transmissa gregis custodia, quae ipsis est rite tradita, ne, postposita charitate, et vigilantia oblita, furentur oves de grege ab inimicis nostris, qui Daemones, et eorum insidiae Parochum, et gregem in perditionem ducunt.

(1) *Divus Augustinus Sermone* 152. *de tempore*.
(2) *Primo Petri. Capite.* 5.
(3) *Cap. Presbyteri de Consecrat.*
(4) *Conc. Mediol. IV. Par.* 2.
(5) *Thren. Jeremiae* 4.

IX. Parochorum partes sint bonitate, disciplina, et scientia plenae, sicut decet Ministros Christi, et Pastores animarum, adeo ut oves vocem Pastorum audiant, dum eas alloquitur, atque vocem alienorum non intelligant; Saepe gregem invisent, paterno affectu consolident, in viam mandatorum dirigant, atque in sanctis operibus confirment. Jurgia, contentiones, et dissidia, tanquam innumerabilium malorum radices studeant evellere debitis monitis, et hortationibus, lites familiares iisdem sit componendi ratio obsecrando, arguendo, increpando in omni patientia, et doctrina, scandala, blasphemias, et crimina nunquam gregem suum infestare patiantur; Ad Nos, quatenus eorum opera non profecerint, sedulo denuntient (1). Si quos inter se impudice versantes in Parœcia noverint, semel, iterum, ac tertio eos commoneant, quod si hac reiterata monitione nihil profecerint, rem totam ad Nos, aut Vicarium nostrum deferant; Abusum profani amoris pastoralibus monitis corrigere curent: Moneant etiam parentes, ne pueros, cum ad eam aetatem creverint, quae malitiae capax est, sinant cum puellis saepe solos praesertim diu versari, multoque minus in uno lecto insimul dormire, ne fratres quidem cum sororibus, neque eosdem in proprio secum conjuges lecto detineant; Conjuges pariter, et communi thoro separatos ad pristinum unionis vinculum inducere satagant; Contumaces ad Nos referant, ut opportune provideamus, similiter non communicantes in Paschate, aut alios quocumque aberrantes a semita mandatorum Dei, ne ipsi pro animabus eorum strictam Aeterno Judici Supremo Pastori reddant rationem.

X. Tenentur Parochi, ne suum ignorent ministerium, habere penes se, ac saepe consulere Concilium Tridentinum, Cathechismum, ac Rituale Romanum, libros moralis Theologiae probati auctoris, Doctrinam Christianam majorem Ven: Card: Bellarmini, et nostras Synodales Constitutiones; habeant quoque libros Parochiales, quos Rituale Romanum ipsis praesignat cum suis in fine indicibus nominum; Non careant secreto libro, quo adnotentur trinae monitiones paternaliter ab iisdem Parochis factae illis, qui carnis vitio dediti afferunt scandalum Populo; Omnes praefati libri Parochiales cum aliis Codicibus, Inventariis, et Scripturis ad Parochiam spectantibus sub clave stricte custodiantur; Qua de re in unaquaque Parochia sistat archivium.

XI. Singulis annis accuratissime Parochi describant statum animarum distinguendo Laicos a Clericis cum sui Ordinis praerogativa. Foemi-

(1) *Cap. sed illud. dist.* 45.

nas a viris cum sua cujuscunque aetate; Item confirmatos a non confirmatis distinguendo, et communicatos a non communicatis; Aliud ex hoc statu exemplar ad nostram Cancellariam transmittant (1), libros supradictos cum statu animarum nulli praebeant, sed nitide, et absque supplantatione caracteris alienae manus tueantur. De his in Sacra Visitatione a Parochis rationem exigemus.

XII. Quotiescumque Parochi requisiti fuerint de fide Baptismi, Confirmationis, seu obitus, aut Matrimonii, ne detur occasio vitiandi hujusmodi fides cum alteratione diei, vel anni in grave aliorum praejudicium, prout non semel hactenus accidisse comperimus, expresse mandamus, ut Parochi in extrahendo requisitas particulas ex eorum libris diem, mensem, et annum extensis litteris, non autem per numericas figuras, seu notas arithmeticas conscribant.

XIII. Parocho aegrotante, statim ejus familiares, aut Parochiani Nos certiores reddant, aut Vicarium nostrum Generalem, seu per Dioecesis loca remotiora Vicarium Foraneum, ut si necesse foret, de alio Sacerdote provideatur, qui ejus vices exerceat. Si infirmitas gravetur, Parochus proximior illi Sacramenta ministret (2), quod etiam populo eidem commisso similiter faciat, atque eo defuncto, cuncta persolvat, nisi Parochia sit da coadjutore ex nostra permissione provisa; In vacatione Parochiæ Nos idoneum in ea administratorem constituemus, qui munia Parochialia ibi persolvat, donec opportune de Parocho ei provideatur (3).

XIV. Parochi defuncti hæredes ne audeant subtrahere libros Parochiales, scripturas, aut jura supellectilia, vel quaecumque Ecclesiae bona, nec aliud quidquid sit ad Parochialem Ecclesiam spectans sive ab Ecclesia, seu Sacristia, vel domo à Parocho inhabitata, sive per se, sive per alios, sub poena excomunicationis latae sententiae contra alienantes bona Ecclesiae inflictae. Ne autem ad hoc detur occasio, tenetur Vicarius statim inventarium facere de omnibus ad Ecclesiam, et Parochum pro tempore spectantibus; Monemus tandem, et in Domino hortamur Parochos universos nostrae Civitatis, et Dioecesis, ut quotannis celebrare non praeter, mittant anniversarium officium cum Missa pro anima Parochi praedefuncti.

(1) *Conc. Mod. I. Parte 2. Tit. de diligentia ab Ep. adhibenda.*
(2) *Conc. Mod. II. Titulo 2. Decret. 15.*
(3) *Conc. Trident. Sess. 24. Cap. 18. de Reformat.*

CAPUT TERTIUM

DE VICARIIS FORANEIS.

I. Cum non valeamus gregem nostrum per tot varia loca divisum personaliter, ut optaremus, intueri, ac regere; Ideoque viros idoneos deputamus, quibus singulis imposito Vicarii Foranei nomine, committimus, ut investigent, an Populi ambulent in viis Domini, et si aliquid, quod corrigi, et emendari debeat, compererint, vel per se admoneant, ut in viam redeant, vel fideliter ad Episcopum deferant, si obtemperare renuerint.

II. Munus igitur hujusmodi Vicariorum esse debet operam dare, ut Visitationis decreta impleantur, nec non ut Parochi suis in Ecclesiis, domibusque Parochialibus diu noctuque resideant, ut in eorum Paroeciis, Legatis piis, sacrorumque oneribus satisfiant, et illud generatim contendant, ut nostrae Synodi Constitutiones ab omnibus serventur, ac executioni mandentur.

III. Ad Vicarios Foraneos attinet diligenter invigilare, ut omnia, quae divinum cultum respiciunt, sive in divinis officiis, sive in publicis quibuscumque precibus, sive Processionibus, ea, qua par est Religione, et gravitate perficiantur, et ut in sacris vasis, et caeteris Altaris ministerio destinatis mundities, integritas, et eximius sanctitatis decor affulgeat.

IV. Item, vacantibus quacumque de causa Parochialibus Ecclesiis, Nobis significare non negligant, ut aliquem idoneum Sacerdotem ad regimen praedictae Ecclesiae deputare possimus, et interim prohibeant, ne bona, libri, scripturae, et omnia alia ad Ecclesiam vacantem pertinentia ab haeredibus Parochi defuncti amoveantur (1). In eadem Ecclesia vacante nulli concionatori habere conciones permittant, nisi de ipsis à Nobis facultate, ac Benedictione collatis, constet.

V. In causis civilibus pro locis piis, seu miserabilibus personis summam scutorum quatuor non excedentem tantummodo cognoscant (2), ne partes pro qualibet re levi Civitatem adire cogantur; Si vero causa civilis praedictam summam excedat, ad Curiam Episcopalem, Vicariique Generalis spectabit judicium, neque idcirco eidem sese immisceant, vel actus conficiant.

VI. Ubi delictum aliquod committitur ad forum nostrum spectans, illico Vicarii Foranei scrutentur facti veritatem, et solliciti sint in habendo delicti corpus, adhibito Notario, si adsit; Sin minus

(1) *Sup. Cap. 23. de bonis Eccles. non alien. §. 4. et Seq.*
(2) *S.ae. Cong. apud Nicol. 27. Martii 1590.*

duobus viris probitate, ac integritate notis, qui depositiones scribant, et sumptas necessarias notitias ad Nos quamprimum transmittendas curent. Ita quoque si qua mulier concubitu illicito conceperit, cui tamen, simul ac deprehensa fuerit, ejusque parentibus, si quos habet, de prole servanda praeceptum ea, qua decet, prudentia imponant.

VII. Vicarius vero aliquis, si in proprio obeundo munere negligens fuerit, aut deliquerit, à Nobis arbitrio nostro saevere punietur, et ab officio amovebitur.

VIII. Vicariorum Foraneorum insuper erit, quando aliquis Sacerdos, seu Clericus per Dioecesis loca diem clauserit extremum, protinus id significare per litteras, et referre, an defunctus aliquod habuerit beneficium, aut officium, ut Nos et de suffragiis ipsius animae, et Ecclesiae necessitatibus consulamus; Demum ea omnia, quae ipsorum vigilantiae committimus, sedulo adimpleant, et respective ab aliis curent adimplenda, ut possint placere Deo, et in bono magis abundent.

CAPUT QUARTUM

DE CANONICIS, ET CHORI DISCIPLINA.

I. Singularis Canonicorum Dignitas ubique praedicatur, difficillimum est intelligere, quammerito evulgatur. Nam ipsi doctrina, et pietate praeecellere debent (1), digniorem Cleri portionem constituunt, et in coadjutores, et cooperatores Episcoporum assumuntur, ex quo honorificam Ecclesiastici Senatus appellationem promerentur (2) maxime Cathedralis Ecclesiae Canonici, quos in ministerii nostri testificatione ab eis adjuvandi non tantum filios, sed fratres nominamus. Quanta sit Canonicorum amplitudo in Dignitatis gradu, tanta eorum sit cura muneris adepti, quod non nisi maximum enuncia-tur; Hoc unusquisque Canonicus excogitet, hoc repetat persaepe, se non ad inertiam, aut ad ignaviam, sed ad Spiritualis, atque ad Ecclesiasticae militiae labores, et cultum vocatum esse (3). Id igitur excipiant pro regula servanda, et Ecclesiastica disciplina tuenda.

II. Canonici porro suo nomini regularissima respondeant observatione, quam devovisse prae caeteris memineant. Statuta, Constitutiones, et laudabiles consuetudines suarum Ecclesiarum in limine fundatio-

(1) *Cap. Inter. caetera* 15. *de officio Ordinis.*

(2) *Con. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.*

(3) *Conc. Med. sub S. Carolo*; *Par.* 3.

nis unicuique Capitulo impositas, et rite approbatas diligentissime observare studeant. Praescripta in Liturgia, in Breviario, Missali, Coeremoniali Episcoporum, et Pontificali Romano accurate adimpleant. Nemini liceat, sive Dignitas sit, sive alius cujuscumque gradus, et antianitatis, vel officii Canonicus, jus sibi facere, alios Concanonicos increpare, aut ad iracundiam provocare, sed potius compatiantur invicem: Fratres enim sunt, quos inter una esse debet pietas, una charitas, unus amor; Immo discordantes componere gratum habeant; Canonicorum est, ut verbis utar Concilii Aquisgranensis = discordiam fugere, et quos discordantes invenerint, ad charitatis concordiam revocare = (1). Quod autem ad mutuam dilectionem profitentur, verbis irritum redderent, nisi firmarent exemplo. Nobis debitam exhibeant obedientiam, alter ad alterum obsequium, et dilectionem testificet, sicut decet: *Canonici (subdit citatum Concilium) teneantur proprio Episcopo, secundum Canonicam institutionem obtemperare, doctrinis spiritualibus operam dare, irreprehensibiliter vivere, seniores spiritualiter juniores diligere: Juniores obsequium dignum exhibere senioribus; Doctores nequaquam minus doctis se praeferre, sed magis eosdem cum charitate aedificare, neque hi, qui nobilitate generis, aut virtutum donis pollent, caeteris se superextollere* (2).

III. Quicumque Dignitatem obtinens, aut Canonicatum, seu Beneficium residentiale, sive in Ecclesia Cathedrali, sive in Collegiata Canini, antequam possessionem capiat, in manibus nostris, aut Vicarii Generalis consuetum emittat juramentum, se fideliter bona Ecclesiae, Capituli jura, consuetudines probatas servaturum. Idipsum, si antea legittime impediti non emiserint, infra duos menses similiter in nostra Generali Cancelleria consignent sub poena amissionis fructuum, et alia graviori a Nobis infligenda; Juramentum quoque praestare tenetur provisus de Paroecia, aut simplici Beneficio, quoad defensionem bonorum, aut inventarium conficere, prout innuimus.

IV. Canonicorum numerus Capitulum vocatur, quod sub quadam regula, et statutis suos detinet Canonicos: Illa igitur Nobis exhibeant tam Canonici Cathedralis, quam Collegiatae Canini infra sex menses a praesenti Synodi publicatione, ut accurate examinare possimus, et approbare, vel confirmare, quatenus nihil contineant distans a jure, et ab Apostolicis Constitutionibus. Si vero non ha-

o

(1) *Concilium Aquisgranen. Can.* 145.

(2) *Idem Concilium Aquisgran. Ibidem.*

beantur ; nova confici mandamus , et infra enunciatum tempus Nobis tradere , sub poena interdicti (1) .

V. Congregationes Capitulares habeantur saltem semel in mense in loco consueto , ac in eis , quae ad Dei cultum , et res Ecclesiae concernunt , pertractentur ; Quando necessitas urgeat , extra id tempus quoque Capitularis conventus congregari potest per primam Dignitatem , aut per aliam , quae sequitur , si prima fuerit legittime impedita , seu per antiquiorem Canonicum , facta pridie debita intimatione unicuique Capitularium ; Comitiis particularibus semper praemittantur ad Deum preces , quia ab eo recta consilia, et justa sunt opera , ac ea finiantur , fusis ad Deum ipsum in gratiarium actione devotis precibus de more ; In Congregationibus hujusmodi aequum est , ut omnes pro sua dignitate , et gradu consedeant , ac deinde suam pacatis animis proferant sententiam , atque , ut liberae evadant resolutiones , illas secreta prosequantur suffragia ; Quando aliquis particularis instet , ut Capitulum congregetur pro rationabili , seu necessaria causa , quae ipsi videtur , istam nonnisi in Capitulo exprimere tenetur . Quapropter eo in casu statuimus , ut Capitulum convocetur . Absentes sine justa causa punctentur poena obulorum quinque ; Non minus quinque sint Capitulares , ut rite celebratum Capitulum dici possit tam in Ecclesia Cathedrali , quam in praefata Canini Collegiata ; Dum divina celebrantur officia , numquam convocetur Capitulum (2) , nisi urgentissima , et gravissima causa id exigat , nec ad aliam horam transferri patiatur ; Secretarius Capituli omnia , quae tractantur , seu tractanda proponuntur , fideliter scribat , propositiones alta voce perlegat ; Gloriam Dei singuli prae oculis habeant , atque Ecclesiae utilitatem , et justitiam ; Acceptionem personarum prorsus excludant , non privatas passiones secreto suffragio colant, nec propria commoda requirant ; Sciant eorum jusitiam Deum in die Judicii sciscitaturum , atque ex adverso eos illi de injustitia rationem strictam fore redditurus ; Quidquid actum sit in unoquoque Capitulo , Secretarius exacte registret in Libro Capitulorum , et in calce uniuscujusque Capituli se propria manu subscribat . Ab omni contentione , injuria , contumelia , et jurgio se abstineant in Capitulo ; Eos hoc pati pudeat eo magis , dum sunt in nomine Domini congregati , quod si quis deliquerit , graviter punietur .

(1) *Conc. Rom. sub. Ben. XIII. Tit. 2. Cap. 4. et 5.*

(2) *Sac. Cong. Conc. in Tunit. 2. Julii 1733.*

VI. Inter Canonicos dumtaxat officia Capitularia distribuantur ad normam Constitutionum Capitularium , sive per turnum , sive per secreta suffragia , et tunc censetur approbatus , qui majorem suffragiorum numerum reportaverit . Inter officiales comprehendantur Chori Praefectus , Magister coeremoniarum , Camerarius , Syndacus , Punctator , et Secretarius ; Ab exercendo quodcumque munus capitulare arcemus debitores Capituli , et eos , qui de peracta administratione rationem non reddiderint , aut liberationem non reportaverint ; Munus demandatum a Capitulo nullus sine rationabili causa respuat . Nullus praesumat nomine Capituli , hoc inscio , quidquam agere .

VII. Clerici in minoribus Ordinibus constituti vocem non habeant in Capitulo , interesse tamen tenentur , sicut caeteri , si sint Canonici ; Quando aliquid in Capitulo pertractandum , et agendum , quod ad aliquem Canonicum , vel ejusdem consanguineos , aut affines intra secundum gradum pertingat , Canonicus ipse a Capitulo recedere debet , nec reverti , nisi negotio absoluto , alias resolutio sit nulla (1) . Vetamus , et prohibemus Capitularibus propalare , et promulgare etiam Canonicis absentibus quidquid in Capitulo actum sit sub poena arbitrio nostro infligenda (2) , exceptis iis , ad quos attinet resolutio . Quando in negotiis magni momenti a majori Capituli parte requiratur juramentum de secreto servando , illud emittere possunt , et si quis autem renuerit tale juramentum praestare , a Capitulo statim exeat ; sed tamen declaramus hoc Jusjurandum non afficere , si quis Nobis , aut Vicario nostro Generali manifestaverit quid in Capitulo acciderit , dummodo de juribus inter Episcopum , et Capitulum non agatur .

XII. Praeterea , si quando expediat universum Clerum convocare per Rectores Ecclesiarum , vel sub uno capite fere Capitulariter aliquid tractare , semper Nostra , aut Vicarii nostri Generalis facultas impetretur sub poena nullitatis ad omnia , quae tractata , et resoluta fuerunt .

IX. Capitulares attestationes fieri prohibemus , sive favore , sive contra quamcumque personam , nisi hoc resolutum sit Capitulariter per secreta suffragia , adeoque mandamus fidem Capitularem cujuscumque rei argumenta tractantem, atque testificantem per Secretarium in libro speciali transcribi , et in testificationem Capituli Sigillum apponi ; Si contravenerit , ipsum ab hujusmodi officio privatum declaramus .

(1) *S. Cong. Conc. apud Gavant. Verbo Capit. N. 7. 8.*

(2) *S. Cong. Episcop. 3. Maji 1751.*

X. Tam in Ecclesia Cathedrali, quam Collegiata habeatur archivium duobus seris, et clavibus munitum; Unam prima dignitas retineat, alteram Secretarius Capituli; Ibidem serventur libri, et scripturae ad ipsum Capitulum, et Ecclesiam pertinentes, nec non sigillum Capitulare custodiatur, nihilque ab eo asportetur sine Capituli consensu, et nostra licentia; qui autem sine licentia aliquem librum, aut paginam malitiose ex eodem subripere, et detrahere praesumpserit, vel scripturas, notiones, jura in scripto penes se secreto retinuerit, nisi infra quindecim dies a publicatione praesentis Synodi reportaverit, etiam quid minimum in manus Deputati Secretarii, aut Archidiaconi pro Ecclesia Cathedrali, et Archipresbyteri pro Collegiata Canini Excomunicationis poenam incurret contra alienantes bona Ecclesiae inflictam.

XI. Aliud extat Canonicorum munus caeteris praestantius, quod est publicum sacrificium laudis, idque Deo omnium bonorum Largitori offerendi, quotidiana obligatio per Horarum Canonicarum recitationem in Ecclesia. Ad hoc munus itaque omnes, qui servitio Chori tenentur, mandamus intendere omni animi pietate, ac diligenti attentione, non propter merae distributionis diurnae partem, tanquam mercenarios, quasi Deo propter illum servientes, sed et amoris impulsu erga Divinam Bonitatem, et ob aeternae retributionis desiderium: Alioquin culpa quidem erunt detenti si negligentes submisse, aut immodeste divinae Majestati in Choro adsistant, ultra quod suos non faciant fructus (1).

XII. Ad persolvenda divina officia pars sublimior, quam Chorum appellamus (2) in Ecclesia eligatur, excepto hyemali tempore, quia tunc Capella choralis supplere potest, dummodo diebus festis in Choro sublimiori munia laudis persolvantur. Non liceat Canonicis pro libito locum choralem permutare, nisi urgente necessitate, ac de nostra expressa approbatione, neque Tabellam horariam pervertere, sed statuto tempore, et praescriptas horas pro uno quoque anni tempore observari omnino mandamus, adeoque dicta tabella in Sacristia appensa omnibus appareat.

XIII. Post ultimum campanae signum, elapsa media horae parte, omnes, qui Clero interesse debent in habitu chorali, dato campanulae signo bini in silentio legem Domini meditantes incessu gravi ad Chorum procedant, et facta debita Altari reverentia, et mutua

(1) *S. Cong. Conc. in Decemb.* 1619. (2) *Cap. de Celeb. Miss. Clemen. I. eodem Tit.*

salutatione, ad loca sua progrediantur, ibique soluta brevi oratione, flexis genibus, surgentes divinas Laudes persolvant, atque ad normam Coeremonialis consedeant. Nemini liceat a Choro discedere, nisi necessitate compulso, et debita impetrata a Chori Praefecto licentia. Persolutis horis Canonicis, eodem ordine ad Sacristiam redeant, nempe bini, et in silentio. In Choro uniformiter se gerant in genuflexionibus, in sedendo, in surgendo, atque in caeteris actibus ad praescriptum Coeremonialis, silentium cum summa animi pietate in Choro observent, nec invicem colloquentes; si quis modestiae leges excesserit, et aliquid contra decorem patraverit, a Nobis puniendus erit pro modo culpae (1).

XIV. Cantus adhibeatur tam in Ecclesia Cathedrali, quam in Collegiata Canini ad praescriptas Ecclesiae consuetudines, et statuta singulis diebus festis, sed nocte Nativitatis Domini, tribus ultimis diebus majoris Hebdomadae, et in commemoratione omnium fidelium defunctorum, volumus, ut horae matutinae cum cantu integrae celebrentur; In Ecclesia Cathedrali ante Missam solemnem, semper hora Tertiae praecedat cum cantu, atque in diebus Solemnioribus Prima, Tertia, Sexta, et Nona, etsi disjuncte cum cantu tamen recitentur; Hinc obsecramus, et hortamur in Domino omnes Ecclesiastici ordinis hujus Dioecesis nostrae, et quamvis de rigore non teneantur, ut exerceant tamen laudabiliter consuetudinem persolvendi in Choro Vesperum horas singulis diebus festis, et Missam canendi, aliasque sacras functiones prout solemnitas dierum exposcit rite celebrandi; Non recedet utique sine mercede apud Dominum labor eorum, qui certo reddet unicuique secundum opera ejus; Insuper Nostrae Cathedralis Ecclesiae Dignitates, Canonici, et Cappellani omnes non praesumant diebus festis dumtaxat de praecepto solemnioribus ad Chori servitium singulos interesse, sed volumus, statuimus, et stricte mandamus, omnes ad Chorum pro divinis persolvendis Deo laudibus convenire etiam festorum a S. M. Pii VI. abrogatorum incipiendo a primis festivitatis vesperibus, statuimus quoque Octavas, quas infra singulis diebus omnes similiter convenire tenentur, nempe Epiphaniae Domini, Paschatis Resurrectionis, ejusdem Pentecostes, Sacratissimi Corporis Christi, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi sub poena duplicatae punctaturae, aliisque arbitrio nostro eligendis.

XV. Ulterius ad Missam Conventualem, quae semper in cantu celebrari debet, omnes assistant. Itemque Processionibus de jure Capi-

(1) *Crispinus de Visit. Part.* 2. §. 20.

pitularibus, functionibus, quamvis ex consuetudine, concionibus, tam tempore Adventus, quam Quadragesimae omnes Dignitates, et Canonici interesse tenentur, sub poena puncturae, volumus autem, et absolute mandamus, nedum particulares tantum, sed Parochos quoque, et caeteros de Clero, qui Processionibus in festo S. Marci, et in triduo Rogationum interesse tenentur, Missae Sacrificio adstare, sicut in die Solemnitatis Corporis Christi.

XVI. Nobis Pontificalia obeuntibus, universus Clerus in suo ordine, et gradu assistat, nec Parochi, seu Ecclesiarum Rectores se dispensatos fore praesumant, eamdemque assistentiam Nobis praestandam pollicemur a Gubernatore, et Magistratibus tam Civitatis, quam locorum pro sua, quam semper exhibuerunt, Pastori reverentia ad fovendam Populi venerationem, ut in Coeremoniali.

XVII. Postremo [illegible]amus Dignitates, et Canonicos tamquam residentiali vinculo obstrictos ultra sex dies sine Nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia extra Dioecesim abesse, nisi forte accedat causa negotiorum Capituli, reservato Nobis tamen jure examinandi veritatem, contra vero absentes ultra trimestre sive continuum, sive interruptum a servitio Chori procedemus ad tramites Concilii Tridentini (1), atque interim dietim punctentur a punctatore, qui fideliter suo fungatur officio; Quando autem absunt de licentia Sacrae Congregationis, serventur praescripta in eadem licentia, alias ad ulteriora procedemus. Ab universo Clero hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis quotannis commemoratio in Missa habeatur Consecrationis Episcopi viventis, sed in Ecclesia Cathedrali, cum Missa ad praescriptum Rubricae solemnis cantetur, omnes tam Dignitates, quam Canonici interesse debent, quamvis in feriali die incidere possit.

XVIII. Tandem pro exacta Chori disciplina, et ad majorem Dei gloriam volumus, et mandamus Clericos praeter alia studia, etiam cantum Gregorianum addiscere; Nam hoc unum dicimus, prout a Concilio Romano jubemur; Nos in conferendis Canonicatibus, aliisque beneficiis, praesertim residentialibus, caeteris paribus, eos praeferemus, qui cantum Gregorianum callent; Quando vero collatio ad Sedem Apostolicam spectat, tunc in nostris testimonialibus specialem mentionem faciemus de dicti cantus peritia (2).

(1) *Conc. Trid Sess. 24. de Reform. Cap. 12.*

(2) *Conc. Rom. Tit. 6. Cap. 3. et 5.*

CAPUT QUINTUM

DE SANCTIMONIALIBUS.

I. Coelestis Sponsi Virgines, quae optimam partem degerunt e mundo, sequentes agnum, qui occisus est (1) quocumque ierit: Quique proinde tanquam sponsas cingit lapidibus praetiosis, atque suae gratiae ornavit inaestimabilibus margaritis, eae quidem sunt, quae se ipsas Jesu Christo consecrarunt in sacrificium acceptabile, ut vere sint Sanctae Corpore, et Spiritu (2), et nil aliud quam sponsum Deum cogitent, ac in carne sine carne vitam plane ducant Angelicam; At quamvis castitas, quam colere contendunt, sit caeterarum splendidissima virtus, et tamen sine bono opere Redemptori nostro placere nequaquam potest, adeoque necesse est, ut Moniales studeant bonis operibus insudare (3), ne a praesignato Sponso Christo Domino, tanquam stultae Virgines repudientur, sed paratae potius intrent cum eo ad ejus nuptias. Nos igitur de tam selecto grege solliciti, nil pro nostro munere omittere volumus.

II. Hinc omnium ea maxima, et praecipua cura est, ut Moniales, quae Deo se dicarunt per emissam professionem, habitum regularem semper induant, nec quolibet praetextu illum dimittant, prout proprium exigit institutum, et tale sane esse debet hoc indumentum, quod nullimode seculi vanitatem sapiat. In omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione pro tanto vocationis beneficio, memores quod singularis divinae miserationis operatio earum animas eripuit de morte, oculos a lacrymis, et pedes a lapsu (4), ac ab innumerabilibus mundi periculis in tutissimum salvationis portum transtulit, cunctarum vota simul innotescant apud Deum (5); Sanctae orationis spiritum non extinguant, et sedulo ascensiones in corde suo disponant ad Deum per quotidianum exercitium orationis mentalis, ut ire possint de virtute in virtutem; Quae Choro sunt addictae divina persolvant officia, adeoque ad Chorum conveniant alternatim cum pausa, attente, ac devote recitent horas canonicas, nec eo tempore, vel dum Missae Sacrificium celebratur, ad quod audiendum omnes conveniunt, et quidem quotidie ab eis audiri mandamus, Nemini liceat exire sine Abatissae licentia; Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum singulis diebus Dominicis, et festis, et pro libito etiam Confessarii devote reci-

(1) *Apocal. Cap. 14.*
(2) *Ap. ad Cor. Cap. 7.*
(3) *Hom. S. Greg. Pap. 13.*
(4) *Psal. 114.*
(5) *Ap. ad Philip. 4.*

piant, ut hoc salutari praesidio munitae omnes oppugnationes Daemonis strenue repellant (1).

III. Constitutiones, et regulae sui Ordinis saepe intra annum legantur in refectorio, ut nullatenus ignorari possint, et sedulo idcirco observentur, sicuti quoque nostra decreta, quae pro temporum opportunitate emanabimus; Capitulum culparum statutis temporibus non praetermittatur; A delinquentibus mandamus exigi poenas in Constitutionibus, et decretis propositas; In permanentem quarumdam contumaciam Nos etiam manus apponemus; Quare praecipimus Abbatissae, ut Nos opportune certiores reddat; Libros dumtaxat spirituales, et probati auctoris perlegant, ne pro antidoto ex illis venenum sumant; Quapropter in Sacra Visitatione Abbatissa indicem singulorum librorum in Monasterio existentium pro recognoscendi, et approbandi causa Nos referat.

IV. Memineant Moniales Sanctissimae Paupertatis votum, idcirco illud observare exacte studeant, ne loco salutis aeternae eis premat gehenna ignis; Omnia, quae in livellum claustrale assignari possunt in subsidium religiosae indigentiae non penes se detineant, sed in communi aerario Monasterii locentur, aut sicut caetera bona communia, per deputatum, et factorem administrentur; Expensas facere extraordinarias Abatissae non liceat, nisi expressa licentia; Pecunias extra claustra apud quamcumque personam sine debita licentia Moniales retinere non audeant sub poena earumdem pecuniarum amissionis, et proprietatis notae. Negotiationem ipsi interdicimus eo pacto, quo regularibus personis est vetitum. Caveant quoque, ne propter lucri aviditatem, tam in laboribus manuum effervescant, quod spiritum relaxent, et Dei cultum detrimentum patiatur. Sine opportuna licentia nil donare possunt Moniales etiam in titulum eleemosinae sub poena in levibus trium jejuniorum in pane, et aqua; In caeteris sub poenis fulminatis a Constitutionibus de largitione munerum (2).

V. Quae mortuae mundo Christo soli vivunt, tanquam lilia in viridario Domini inviolabiliter clausuram custodire teneantur, nec extra Monasterium nullatenus pedem Monialis efferat, quamvis brevissimo temporis spatio, nisi in casibus a jure permissis; Nullique liceat personae cujuscumque gradus, et conditionis, sive masculo, sive foeminae intra clausurae spatium pedem extendere sine opportunis facultatibus a Nobis in scripto impetratis, aut a Sede Apostolica sub poenis Excomunicationis ipso facto incurrendae, et

(1) *Conc. Trid. Sess. 25. de Regul. Cap. 10.*

(2) *Clem. VIII. Const. Religios. Urbani VIII. Const. Nuper.*

eidem Apostolicae Sedi reservatae (1). Has porro inflictas poenas incurrunt tam clausuram violantes, quam Moniales id permittentes, nec non Moniales ipsas e claustro egressas recipientes: Prohibemus quoque infantulos licet paucorum dierum ab horto introduci, tam per januam, quam per rotam sub poena violatae clausurae; Nullus operarius non inclusus in licentia generali, etiam alias approbatus pro ingressu intra clausuram Monasterii, eo nequeat introire, sed quoties ad operandum vocatur a Monialibus, novam semper, et spectalem a Nobis, aut a Vicario nostro Generali obtineat licentiam (2). Non admitti volumus habentes licentiam, sive generalem, sive particularem Monasterium ingrediendi, nisi praemonita Abbatissa, et cum assistentia duarum ex senioribus, et obtenta facultate, ne abutetur adire, indeque redire mandamus; ante solis ortum, et post ejus occasum licentiam introeundi vetamus, et qui ingressum habuit opportuno tempore, antequam sol occidat, exire debet, exceptis Medico, Chirurgo, et Confessario, qui aliqua urgente necessitate etiam nocturno tempore Monasterium ingredi valent, servato tamen ordine associationis a duabus senioribus, et ab Abatissa facto prius signo per campanulam ad hoc ut Moniales moneantur recedere.

VI. Duae sint portae Monasterii, una interior, cujus claves nocturno tempore Abbatissa penes se retinere debet, exterior altera aperienda, et claudenda a Factore Monasterii prope habitante (3). Porta interior per diem non passim aperiatur, nisi in casu necessitatis, aut cujusdam decentiae, et per breve tempus, cum ad colloquendum crates sint destinatae = Portae collocutorii non aperiantur nocte, sed a mane, orto jam sole, usque ad signum salutationis Angelicae in vespere; Et ne divina impediantur officia, atque vagationis motus ne probetur, portas exteriores Monasterii, et collocutorii claudi decernimus tempore Missae Conventualis, dum habetur generalis Communio, vel quando publicae venerationi exponitur Sanctissimum Sacramentum, aut eo tempore, quo peraguntur spiritualia exercitia (4).

VII. Nulli, tempore Sacratissimae Quadragesimae, et Adventus Domini nostri Jesu Christi, fas sit accedere ad collocutorium etiam pro consanguineis proximioribus sine necessitate, et absque nostra, aut Vi-

(2) *Cap. Unic. de Statu Regul. Conc. Trid. ibidem Cap. 5.*

(2) *Sac. Cong. Conc. In Bononien. 1 Novembris 1722.*

(3) *Eadem Sac. Conc. apud Crist. de Visit. P. 2. §. 42.*

(4) *S. Cong. Conc. in Montefalisc. apud Pignaret.*

carii Generalis licentia in scriptis concedenda sub poenis arbitrariis, et in subsidium etiam Excommunicationis.

VIII. Sciant Regulares omnes cujuscumque Ordinis, Gradus, et Dignitatis, ipsis vetitum esse colloqui cum Monialibus, aut cum aliis intra clausuram degentibus etiam ad modicum temporis spatium sub quocumque capite, aut causa, vel quaesito colore etiam concionandi, in spiritualibus conferendi, vel Missam in Ecclesia Monasterii celebrandi (1) sub poena privationis officiorum, ac vocis activae, et passivae, atque Excommunicationis in subsidium. Neque ipsis liceat sine nostra obtenta licentia Monialibus, et caeteris foeminis in Monasterio degentibus litteras mittere, quamvis ad spiritualem directionem intendant. Attamen in vim facultatis Nobis tributae (2) licentiam arbitrio nostro concedendi reservamus Regularibus, ut cum Monialibus alloqui possint tantum in primo, et secundo consanguinitatis gradu conjunctis praeter dies festos, tempore Adventus, et Quadragesimae per quatuor dies tantum hora in licentia expressa, et cum adsistentia alterius Monialis.

IX. Ad collocutorium secretum nullus admittatur praeter deputatum, et alios ministros negotia tractantes cum Abbatissa, aliisque Officialibus Monasterii; Poterunt quoque admitti et personae ad colloquendum ibi, quibus ob gradus eminentiam, aut praecipuam Dignitatem specialis honor sit deferendus; Neque eo admittantur aliqui quacumque ex causa, praetextu etiam consanguinitatis ad capiendum cibum, nisi a Nobis impetretur specialis licentia in scriptis concedenda ob aliquam specialem causam rationabilem.

X. Monemus, et obsecramus Moniales quascumque, ut se custodiant in spiritu regularis observantiae abnegantes saecularia desideria, quod efficere poterunt, si propriis in cellulis, ubi nihil praeter Deum invenitur, quoniam Deus omnia continet, Coelesti Sponso assidue comitentur; Idcirco e cellula ad crates, deserto Domino, non tam facile, et absque necessitate descendant, ne cum vano, et seculari colloquio, non sicut exierunt, redeant ad cellulam (3). Colloquia autem cum viris cujuscumque gradus, et conditionis absolute prohibemus, sive ad crates, sive ad rotas, sine licentia nostra, vel Vicarii nostri Generalis, exceptis Abbatissa, et Officialibus Monasterii pro negotiis ad officium spectantibus (4).

(1) *S. Cong. Episcop. in Decret. Jussu Urb. VIII.*
(2) *Decret. Urb. VIII. 19. Julii 1623.*
(3) *Cassian. Collat. 6. Cap. 5.*
(4) *Bened. XIV. Const. Pravis. 31. Octobris 1749.*

Qui ad crates, vel portas, aut rotam cum Moniali, novitia, educanda, aut convictrice, ausu temerario de rebus obscoenis, sive per verba, actus, vel litteras aliquid egerit, aut ad hoc cooperaverit (1), puniemus hujusce delictum poena gravi carceris, ultra Excommunicationem, quam Nobis reservamus.

XI. In omnibus Moniales Abbatissae in Domino subjiciantur, sicut decet, quapropter nec foras scribant, nec intus recipiant litteras, nisi prius legendae exhibitae fuerint ipsimet Abbatissae, nisi fortasse litterae spectent ad Episcopum, vel ab Episcopo scriptae, vel a consanguineis, aut affinibus in primo, et secundo gradu tantum (2). Scribentes, aut deferentes ad Moniales secretas litteras punientur pro gravitate culpae ab ipsis litteris magis cognoscendae.

XII. Ad regiminis partes exercendas Abbatissa eligatur per secreta suffragia, quae esse debent majoris partis vocalium, et ad triennium (3). Aetas requisita, ut canonica electio fiat, erit annorum ad minus quadraginta, et ab emissa professione octo, debitis concurrentibus requisitis, et expresse, quod vitam duxerit laudabilem; post tertium annum officii Abbatissa non potest confirmari, sed vacare debet tribus annis, nisi a Sacra Congregatione super hoc dispensetur; Nos, Deo adjuvante, ad Electionem Abbatissae personaliter interesse volumus, ideo instante termino tertii labentis anni a sua electione, volumus, et mandamus, ut Abbatissa Nos moneat, ut, servatis de jure servandis, electam in Domino confirmemus; Sciant Abbatissae sibi spectare magis de bono spirituali, et temporali Monasterii, ideoque prudenter imperent, suaviter arguant, atque caeteris se ipsas praebeant exempla bonorum operum, ad bona Monasterii sedulo invigilent, ac postremo nihil omittant pro suo adimplendo munere, ne strictam Deo rationem reddant de praetermissis, aut pro sua culpa ab aliis Monialibus de commissis excessibus durissimum eis judicium fiat.

XIII. Puellae, quae educationis gratia Monasterium ingrediuntur, divisum habeant dormitorium, et diversam Magistram ab illa, quae Novitiis praeesse debet, vanitatem in ornatu excludant, verum modestae, et decenter induantur (4), sicuti aequum est, ut indutae appareant illae, quae cum Monialibus habitant, quas Jesus Christus sibi desponsavit, easdem non admittantur, nec dimittantur, nisi adimpleverint omnia, quae a Sacra Congregatione Epis-

(1) *Can. Nec aliqua. 17. Quaest. prima. 7. de Monialib. Const. Greg. XIII. 1. Januarii 1585.*
(2) *Sac. Cong. apud Crisp. de Visit.*
(3) *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 6. et*
(4) *Conc. Romanum. Tit. 21. Cap. 4.*

coporum, et Regularium in concessa licentia fuerint praescripta, alias contra Abbatissam procedemus, praesertim si Nobis inconsultis aliquid arbitrarie perfecerit.

XIV. Quas autem Dominus specialis divinae gratiae pulsu dignatur ad admirabile lumen suum excitare, quaeque inter Christi sponsas admitti postulant, prius in spiritualibus exercitiis per decem non interruptos dies se ipsas probent (1). Nullum interim secularium colloquium attingant, ne corda prorsus ab illius refrigescant amore, cui optant adjungi. Permittatur quoque, si velint, egredi e Monasterio in ornatu modesto, probris comitantibus matronis, ut moris plerumque videtur esse; verumtamen quae sua mundus facit deliramenta, ipsis interdicimus; Difficillimum quippe est statim spiritum ad sanctimoniam reduci inter secularia superexcessa blandimenta, quae puellas aljiciunt. Appareant vero pretiosarum vestium vana pompa circumornatae ad hoc, ut generosius deinde hunc fastum conculcent, dum Sacrum induunt Religionis habitum. Vestitionis actus pro evitanda confusione, et decentia ab oculis adstantium tuenda intra Monasterii septa habeatur.

XV. Vestitiones nullatenus habeantur vespertino tempore, sed mane post Missam, quando Candidatae coelestem Sponsum in Sacramento perceperunt, atque ut intelligant sollicite se abjicere opera tenebrarum, et indui arma lucis (2). Rursumque ante professionem per alios decem dies se in spiritualibus exercitiis ad confirmationem adeptae vitae probent, quando bonorum renuntiatio facienda sit a novitiis, infra duos menses proximos ante professionem dumtaxat admittatur sub quocumque nomine sive obligationis, aut cessionis, aut renuntiationis bonorum; Sed non nisi de licentia nostra, vel nostri Vicarii Generalis, et suum non sortiatur effectum talis renuntiatio, nisi sequuta professione (3). Tam Moniales, quam novitias monitas esse volumus, quod Nos consulti per duos, vel unum mensem ante professionem per Nos ipsos, aut Vicarium nostrum, aut per aliam personam a Nobis deputandam procedemus ad explorandam voluntatem puellae novitiae, sicuti explorari quoque volumus ante vestitionem ad normam, et methodum a Tridentino prescriptam (4). Si hoc fieri recusaverit Praefecta, aut Nos opportune non monuerit, suspensionis poenam ab officio incurrat; Ultra numerum Monialium jam praefixum in

(1) *Innoc. XI. Litt. S. Greg. Epis. 9. Octobris* 1682.
(2) *Apost. ad Rom. Cap.* 13.
(3) *Conc. Trid. Sess.* 25. *de Regul. Cap.* 16.
(4) *Idem. Trid. Cap.* 17.

Monasteriis, nulla puella ad habitum recipiatur; Ad professionem autem non admittatur novitia, nisi decimum sextum aetatis suae compleverit annum, et uno completo probationis, nec ultra mensem differatur sine Nostra licentia (1) novitiae professio.

XVI. Ad excipiendas Monialium Confessiones tam pro Monasterio S. Clarae hujus nostrae Civitatis, quam pro alio in terra Ischiae nostrae Dioecesis eligere idoneum Sacerdotem ad Nos spectat per triennium, adhuc tamen ad nutum nostrum admovibilem; Pro Monasterio vero Capuccinarum Terrae Pharnesii in nostra Dioecesi pariter existente, etsi Confessarium deputare spectet ad Protectorem illius Monasterii, et approbare, eumque examinare, an sit capax, semper ad Nos pertinet. Unde sine nostra approbatione unquam Monialium Confessiones poterit excipere. Confessarius quilibet auscultet Confessiones in sede Confessionali, excepta infirmitatis causa, qui tunc in Monasterio excipiet, sed janua cellae aperta, ut non audiri, sed semper videri possit ab assistricibus; Non Confessiones audire praesumat ante solis ortum, vel post ejus occasum sine speciali nostra licentia, supervestem talarem, superpelliceum cum Stola gestare debet, consuetas functiones, benedictiones, et Sacramentalium distributiones pro Monialibus exerceat; In Nativitate Domini noctu non celebret, Monasterium benedicendi causa in Sabatho Sancto non ingrediatur; Sacratissimum Christi Corpus praebeat omni devotione, et decentia Monialibus singulis diebus statutis, aliisque ad devotionem fovendam, sive in communi, sive in particulari erga tanti Sacramenti Majestatem, exequies, et anniversaria universa in Ecclesia monasterii valeat persolvere; Colloquia cum Monialibus, nec in sede Confessionali, nec alibi, nisi in aliqua necessitate habeat; Clavem fenestrellae sedis Confessionalis, et aliam Ostioli exterioris Communicatorii penes se retineat (2). Fenestrella Confessionarii duplici lamina perforata abducta sit (3).

XII. Confessarius Monialium, dum earum excipit confessiones, caveat interrogationes habere importunas circa castitatis votum, sed suasibiliter eas hortetur ad observantiam votorum, ad persolvendum divinum officium in Choro, ad quid minimum a proprietatis vitio arcendum, ornatum exteriorem omnino detestandum, ad regulam exacte observandam, et in sua vocatione constanter insisten-

(1) *Idem. Trid. Cap.* 15.
(2) *Conc. Mediol. IV. Part.* 3. *Titul. de Mon.*
(3) *Conc. Mediol. I. Part.* 3. *Titul. de Concion.*

dum (1). Tandem prudenter se gerat in redargutione vitiorum, ne peccati notitia inducatur.

XVIII. Praeter Confessarium ordinarium alium quoque Monialibus concedemus bis, aut ter infra annum (2), qui accuratius conscientiis tam per Sacramentalem Confessionem, Monialium, Novitiarum, Educandarum, aut Convictricium, quam per monita spiritualia satisfaciat. Toto tempore suae deputationis desiderium recipiat singularum, eisque spatium spiritualis consolationis permittat. Interim Confessarius ordinarius ad Monasterium non accedat, nec praetextu audiendi in Ecclesia, aut in Sacristia cujuscumque personae Confessionem, aut ibi celebrandi (3) sub poena suspensionis ab officio per sex menses.

XIX. In Archivio Monasterii plures serventur libri, scilicet unus in quo adnotentur vestitiones, professiones, et dies obitus Monialium; Alter singulas licentias pro ingressu personarum intra Monasterium complectens; Tertius, in quo pecuniae depositae monialium, et Monasterii describantur; Archivium claudatur, et clavis penes Deputatum, seu Abbatissam retineatur; Libri quoque habeantur pro administratione bonorum Monasterii; Singulis annis de administratione fiat sindacatus, et ratio itidem Nobis reddatur, et, ne confusio oriatur, volumus, ut minister dependeat in omnibus a duobus deputatis, qui eligentur a Nobis, et saltem semel in mense, quid ab eo actum sit videatur per Abbatissam coram Confessario, ac Deputatis Monasterii, et Nobis statim referatur.

CAPUT SEXTUM

DE SEMINARIO.

I. Inter sancta, et saluberrima instituta, quibus, divino afflante lumine, ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam, nec non ad bonum Ecclesiae, ac Religionis promovendum provisum fuit; Non est, qui ignoret, illud esse, quod Nobis ex decreto Sacri Concilii Tridentini (4) praecipitur adolescentium, scilicet, educatio in Seminario, quod est ille hortus, in quo pueri a teneris annis eruditur, et tanquam novellae plantulae informantur ad pietatem, et canonicam disciplinam, ut inde in Ecclesiarum regimine, sicut

(1) *Conc. Col. II. P. 10. C. 8.*
(2) *Conc. Tridentinum Sessione 25. Cap. 10. de Regularibus, et Monialibus.*
(3) *Bened. XIV. Constit. Past. die 5. August. 1748.*
(4) *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 18. de Reform.*

aedificantes Dei ministros exhibere se valeant; Nos igitur a prima die, qua ad hoc Episcopalis officii culmen evecti fuimus, cum in hac nostra Civitate, ac Dioecesi, non sine maximo cordis nostri moerore, Seminarium penitus abrogatum invenerimus; Idcirco pro quolibet bono juvenum omnis sollicitudo haberi debet, et ideo statim ad opus tam grande, ac necessarium omnem nostram locavimus cogitationem. Ab illo momento, ut hoc Nobis consequi daretur, Deum, quantum potuimus, suppliciter rogare non intermisimus. Hoc Nobis fuisse semper in votis ingenue fatemur, et in hoc ingenium nostrum, voluntatem, studium, et animum sic impendere proposuimus, donec exitu felici omnes sub oculis conclusum haberent; et revera, cum ab omnibus, summa Dei benignitate, nec non beneficentia Summi nostri Pontificis Papae Pii VII., auctis redditibus, et aedificiis videatur jam absolutum, ac in optimam formam redactum, Nos equidem de tanti operis optato fine laetamur in Domino, et maximum in corde gaudium experimur, non quia manu nostra, et industria excitatum Urbi ornatum exhibet non vulgarem, sed quia fructus uberes ex juvenum cultura speramus, ac utilitatem suo tempore Dioecesi nostrae haud mediocrem allaturos non dubitamus; Quare, ne hoc novum nostrum Seminarium a sancta, et recta institutione numquam, vel minimum deficiat, volumus in primis, ac stricte mandamus, ut regulae a S. Carolo per Seminarium alumnis conscriptae (quorum exemplar in lucem edi curabimus) ab alumnis exacte observentur, et interim, quae sequuntur, praescribimus.

II. Adolescentuli in Seminarium optantes admitti, supplicem libellum Nobis porrigant cum nomine, et cognomine eorum parentum, et Patriae; Non sint minores duodecim annis (1), nec majores decem, et septem, non valetudinarii, qui studia colere non possint, sciant competenter legere, et scribere, atque desiderium exponant Deo, se in ministerio Ecclesiastico inservituros, et si habuerint requisita a Sac. Conc. Trid., et examinati fuerint admissi, idoneam fideijussionem praestent per acta Curiae Episcopalis de solvendis alimentis pro toto anno scholastico ad summam scutorum = quadraginta tantum = sed ante ingressum volumus, ut solvant ratam pro medietate anni scholastici solum; Nec non pro una tantum vice scuta duodecim in manu deputati exactoris ratione utensilium.

III. Pro disciplina, et ordine in nostro Seminario servandis leges, et regulas exarabimus in Appendice Synodalium Constitutionum, quibus volumus, ut alumni fideliter studeant, ac exacte eas ob-

(1) *Conc. Trid. eadem Sess. et C. 18.*

servent; Erit autem Rectoris Seminarii, aliorumque moderatorum legum observantia, ad quam sedulo invigilent: Ad sexennium permanebunt alumni in Seminario, ac etiam longiori tempore, donec studiorum cursum absolvant; Tonsurati semper coronam Clericalem, habitum talarem violacei coloris omnes gestare debent, ut moris est.

IV. Rector, aliique ministri juvenibus praepositi sacro foedere jungantur ad avertenda ex eorum animis monstra improbitatis, et ignorantiae, una sit omnium sollicitudo, ut morum honestate, Ecclesiastica disciplina, et doctrinis informentur, studia Grammaticae, Rethoricae, Philosophiae, nec non Theologiae tam moralis, quam dogmaticae, et scholasticae erunt instituta, ut ad ea pro eorum captu, et necessitate attendant; Sacrae Scripturae Lectioni se assuescant, Conc. Trid., Catechismum Romanum, aliosque Ecclesiasticos libros calleant, Liturgias, effectus Sacramentorum cum cantu Gregoriano addiscere satagant (1). Plures classes dividi mandamus, nec ab una ad aliam transire alicui permittatur, nisi per Nos, aut per Vicarium nostrum Generalem, seu per alium a Nobis deputatum examinetur, et idoneus reperiatur; Quin immo singulis annis coram Nobis per examinatores de eorum profectu ratio erit requirenda; Nos insuper frequenter aderimus inexpectati, nedum ad invisendum, an ab omnibus disciplina servetur, ac nostrae Constitutiones, et regulae omnino executioni demandentur, verum etiam, ut magistri publicas Accademias, et disputationes ita disponant, ut juvenum progressus, et Seminarii decus appareat.

V. Cum initium sapientiae sit timor Domini, atque desursus detur intellectus bonus omnibus facientibus eum (2), ideo pietatis, et Religionis exercitia altius in juvenum corda infigantur oportet; Quade re vigil rector, et magistri eos saepe edoceant modum orandi, prout Redemptor noster suos erudivit discipulos; Unde volumus, ut omnibus praescribant, quod per horae quadrantem, qua libet die mane, ac vespere faciant orationem mentalem, recitando post dictam orationem in mane Litanias Beatissimae Virginis Mariae, ac vespere omnium Sanctorum; Quotidie Sacrum audiant, et eidem inservire discant; Singulis quindennis, praemisso diligentissimo examine conscientiae, humiliter assignato Sacramento Poenitentiae Ministro sua confiteantur peccata, et ad prudens judicium Confessarii Angelorum pane reficiantur, qui in Sacris fue-

(1) *Constit. Bened. XIII. Credite Nobis* 7. *Martii* 1725.

(2) *Psalm.* 110.

rint initiati, singulis Dominicis, et solemnioribus festis, universi autem in tertia Dominica cujuslibet mensis, et in Missa solemni, ut populus videat eorum opera bona, et glorificet Patrem nostrum, qui in Coelis est. In Ecclesia Cathedrali in sacris functionibus suam praebeant adsistentiam, ac in ea tempore Adventus, et Quadragesimae functionibus adsistant; Semel in anno, in mense Novembris per octo continuos dies, antequam anni litterarii cursum amplectantur sub illius pii viri regimine, quem Nobis eligere libuerit, spiritualibus vacent exercitiis; In diebus festivis exerceant se in recitando memoriter doctrinam Christianam, et officium Beatae Mariae Virginis.

VI. In omnibus se praeferant tanquam plantulas, quas plantavit Dominus, adeo ut horum sint fructus honoris, et honestatis, ac se invicem diligentes alter ad alterum bona praebeant urbanitatis officia; Clericalem modestiam singulis ostendant; Prandio, et coenae Benedictionem praemittant, eisque expletis, gratias agant; Nullus loquatur tempore silentii, et in recreatione tres ad minus simul erunt, et de rebus proficuis agent. Etiam in refectorio silentium observent, et in eo quisque per turnum leget in sua hebdomada, nec ullus in refectorium extra tempus coenae, vel prandii, neque in coquinam ingredi audeat absque licentia. Nullus alterius cubiculum ingrediatur sub poena jejunii per integrum diem in solo pane, et aqua, neque in ostio cubiculi colloquatur. Reverenter admodum hi cum Superioribus loquantur, eosque obvios capite discooperto, et inclinato salutent; Per vias cum nemine loquantur, neque locum aliquem ingrediantur, sed eant qua ducuntur, et in omnibus extra Seminarium, dum per vias tam in Civitate, quam extra deambulant, ductori pareant, quos binos disponere debet. Vetamus insuper universis extraneum admittere ad colludendum, seu ad associandum secum sine Praefecti licentia, quam nolumus, ut concedat, nisi in casibus designatis; Domum cujuscumque personae interdicimus ingredi sine Rectoris licentia, quam concedere non valeat persaepe, sed raro, et consanguineis in primo, et secundo gradu, et Praefecti associatione numquam dimissa; et qui hujusmodi licentiam obtinuerint, tempus concessum non excedant, sed eo lapso statim revertantur ad Seminarium, alias minime in eo admitti possint absque nostra licentia: Ad ostium Seminarii nemo absque licentia descendat, nec ei permittatur loqui, nisi cum personis aetate provectis, et consanguineis, et cum ipsis cito se expediat; Nullus tandem quidquam mutuo det, vel recipiat, neque epistolas scribat, vel recipiat, nisi eas Superiori ostendat, quando ad alios, qui non sunt parentes, aut domestici, scribit. Si quid commesti-

bile alicui datum fuerit, illud inter eos a Praefecto distribuatur, nec ullus quidquam habeat particulare.

VII. Etsi Clericis concedere licentiam redeundi ad proprios lares tempore Autumnalis vacationis, quod erit a die prima Septembris usque ad quartam diem exclusive mensis Novembris, iniquo animo patiemur, attamen oportet, ut indulgeamus non tantum tempori, quantum circumstantiis, in quibus hoc in tempore reperitur Seminarium; Sed pro nunc omnibus notum facimus, quod reditum ad proprios domos ea conditione permittimus, ut disciplinae custodiendae regulas a Rectore illis tradendas exactissime servent, ac in eorum regressu secum habeant Parochorum testimonium de assiduo Ecclesiae servitio praestito, de Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae frequentia, quibus deficientibus documentis, in Seminarium non iterum recipiantur.

VIII. Mulieribus interdicitur ingressus in Seminarium sub quovis prętextu, aut colore. Decet enim hunc locum a quacumque suspicione tueri, quae ut plurimum oriri solet etiam aliunde ob mulierum frequentiam, ne juvenum tranquillitas, corda, et spiritus perturbentur; Angelus Satanae undique tela ministrat, ut medium habeat, quo animas adolescentium prae caeteris colaphizzet; Non liceat igitur Clericis Seminarii sive per vias, sive ad portas exteriores ejusdem cum mulieribus sermocinare, exceptis matribus, et consanguineis, et de licentia Rectoris, cujus conscientiam quoad hoc oneramus; Si quis culpabilis aliquando inveniatur, pro prima vice in refectorio publice punietur arbitrio Rectoris; Pro secunda tribus diebus in pane, et aqua jejunet; Pro tertia autem ad Nos referatur per Rectorem, et contumaciam, et reincidentiam puniemus etiam per expulsionem a Seminario absque redeundi spe.

IX. Clerici Seminaristae suum adimpleant studendi onus, in tam viridi, et opportuna aetate proficiant redimentes tempus, quod irreparabiliter volat, sperantes ad Dei gloriam in profectum progressuros fore; Qui vero in studiis incipiet negligere, aut in pravos mores degenerare, nec monitus resipiscat, eum absolute a Seminario rejiciemus, omnem praecludemus aditum ad Ordines suscipiendos; Etenim qui sibi neque est, cui alii bonus erit? (1), nonnisi scandalum, et errorem aedificationis loco, et disciplinae, aliis praestiterit.

X. Obsecramus in Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos, et mortuos, et per adventum ipsius, et regnum ejus omnes, qui juvenibus in Seminario praesunt, illis exempla praebere bonorum

(1) *Ecclesiast.* 14.

operum, atque irreprehensibiles se ostendere, atque eis jubemus, ut fallentes arguant, obsecrent, increpent in omni patientia, et doctrina (1), alias non avertet Deus indignationem ab eis, cui rationem districtam pro iisdem sunt reddituri.

XI. Pro recta administratione bonorum Seminarii, factorem ipsius invigilare mandamus, ut ea bona stabilia maxime nil patiantur detrimenti, sed potius meliorentur, et semper, per quantum fieri potest, augeantur; Omnium stabilium, et mobilium fidele penes se retineat inventarium; Librum quoque habeat numeratis paginis, in quem referat introitum, et exitum singulis annis a deputatis recognoscendum; et alium, in quo expensae cujuslibet hebdomadae appareant, de quibus exactam rationem reddet Rectori in quolibet ejusdem hebdomadae Sabatho.

XII. Vacationes a studiis erunt a vigilia Nativitatis Domini usque ad secundam diem Januarii; a Feria quarta Dominicae Sexagesimae, usque ad feriam quartam Cinerum; a Sabatho Sancto majoris Hebdomadae usque ad diem Mercurii intra octavam Paschatis; a Sabatho ante festum Pentecostes usque ad diem quartum ejus octavae.

XIII. Seminarii domum Ecclesiae nostrae Cathedrali subjectam decernimus, et propterea solum ab ejus Parocho in alumnos, et ministros Parochialia jura exercebuntur.

CAPUT SEPTIMUM

DE CONFRATERNITATIBUS.

I. Ad divinum cultum Deo exhibendum, ad pietatis officia exercenda, et ad Charitatem inter fideles excitandam miris in modis Laicorum Confraternitates sunt institutae, quaeque habitu etiam externo vinculum pacis inter Christi fideles colere demonstrant; ad quae omnia pia Mater Ecclesia opportunis regulis confovenda suos filios impellit, ut uberrimum spiritualem fructum inde hauriant. Ex his Confraternitatibus plures sunt erectae tam in hac nostra Civitate, quam in Dioecesi, quas inter existentes pia illa sodalitas novissime est instituta, et in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium canonice erecta, quae sub invocatione Sanctissimi Cordis Jesu suos Confratres ad tam pium excitat exercitium, quod omnium cum admiratione in spiritu humilitatis illorum animas fere sanctificare contendit, praecipue meditantes in lege Domini, ut prorsus intelligant quae sit voluntas ejus; Hanc igitur totis viribus in Domino tuemur. Inposterum vero aliae Confraterni

(1) *Apost. Epist.* 2. *ad Timot.* 4.

tates nolumus, ut erigantur de novo sine nostra approbatione etiam in Ecclesiis Regularium, atque servatis semper Pontificiis Constitutionibus (1). Quod si quis Laicorum coetus sine praedictis facultatibus saccum alicujus Confraternitatis induere ausus fuerit, gravissimis poenis a Nobis infligendis subjiciet, et nullis Indulgentiarum privilegiis gaudebit.

II. Omnis Confratrum sodalitas sua habeat statuta rite probata, eaque religiose serventur, atque ut omnibus innotescant, in comitiis aliquod caput semper alte legatur, nova statuta, novasque Constitutiones condere nequeat, nisi Nobis assentientibus. Confraternitates autem, quae non fuerint aggregatae, curent impetrare aggregationem alicujus Confraternitatis Urbis cum nostra approbatione, et litteris testimonialibus, ut Indulgentiis, gratiis, et privilegiis frui possint, qua aggregatione impetrata, in nostra Cancelleria volumus, ut illa exhibeatur; sodalitates quomodolibet electae, et cuicumque Archiconfraternitati aggregatae erunt Nobis semper subjectae, nec proinde in vim privilegiorum eximi intendant a visitatione, et ratione administrationis (2), quamvis in Ecclesiis Regularium sint erectae.

III. Inter Confratres alicujus societatis nullus admittatur, qui sit minor annis quindecim, nisi aliter Nobis visum fuerit. Incorigibiles, facinorosi, et infames non recipiantur omnino, et qui post acceptationem licet a pluribus annis talis evaserit, ex albo Confratrum cancelletur, nec ad cujuscumque officii, aut exercitii partes in Confraternitate patiatur, ac denuo recipi vetamus, nisi scandalosam vitam manifestis, et constantibus expiaverit poenitentiae signis. Qui alteri Confraternitati adscriptus fuerit nequeat ad aliam simul admitti sub poena nullitatis, nisi Nobis aliter videatur pro bono etiam alterius societatis, electio, et admissio Confratrum fiat secretis suffragiis ut moris est nullo habito respectu (3).

IV. Quaecumque Confraternitas suum habeat Capellanum in spiritualibus exercitiis, qui sit Sacerdos bonis moribus ornatus, et a Nobis ad hoc officium approbatus. Ipsius erit Confratres ad pietatem, et ad bona opera excitare frequenti colloquio, ut semper Deus magis glorificetur per ipsos. Solitum stipendium solvatur, nec augeatur, nec minuatur sine nostra licentia, quam nunquam concedere intendimus, nisi rationabili probata causa; Illae Confraternitates vero, quae propter paupertatem, aut tenuitatem redditum nullum stipendium Capellano assignare valent, proindeque a nemine Ecclesiasticorum Capellani munus exercetur, vigilantiae, et curae Parochorum commendamus, ne Sodales devotas exercitationes penitus obliterent, et confuse vivant.

(1) *Constit. Clem. VIII. Quaecumque 24. Decemb. 1604.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 8. de Reform.*

(3) *Gavant. Manuel. Verb. Confr.*

V. Confraternitatum officiales singulis annis eligantur per secreta suffragia, et a Nobis confirmentur; Ultra duos annos non erunt duraturi in eodem officio, nisi id pro opportunitate Confraternitatis in Domino placuerit; Non eligantur minores annis viginti quinque, et probatae prudentiae, et zeli saltem per annum in sodalitate ab eorum acceptatione; Illi tantum electi remaneant, qui favorabilia suffragia nostra majora reportaverint juxta cujusque societatis constitutiones; Nullus Confraternitatum conventus processionaliter cum saccis incedat absque associatione Capellani, vel Sacerdotis stola, et superpelliceo induti, et si aliqua sodalitas eis careat, in casu Parochus provideat, prout in Domino ei videbitur expedire; Sciant omnes cujusque societatis Confratres, quod indumentum sodalitatis maximam exigit venerationem, sicuti a Sacris Litteris desumitur esse hujusmodi indumentum saccum obsecrationis (1). Caveant ergo, ne exeretur; Porro nullus audeat sic indutus vilia quaeque tractare, ab aliis sejungere circumeundo per forum, per vias, eoque minus per tabernas, et domos, nisi forte quaerendo Eleemosinam, vel pro detentis in carcere, vel pro terra Sancta sub poena unius aurei, et quatenus relabatur cassationis.

VI. Nulla apud Nos datur Confratrum societas, quae aliqua devotionis signa speciali modo erga Beatissimam Virginem non eliciat diebus festis infra annum occurrentibus, ideo absolute mandamus, ut inposterum singulis diebus festis de praecepto plene observandis sodales conveniant ad eorum Oratoria officium Beatae ejusdem Virginis Mariae recitaturi, ac semel in mense officium pro defunctis Confratribus, et ubi exiguus est numerus Rosarium Sacratissimum; In suis peragendis functionibus horam seligant, quae alia Ecclesiae parochialis officia non impediat, unde super hoc Parochi, et Confratres invicem conveniant.

VII. Congregationibus universis sive generalibus, sive particularibus habendis Nos praeesse volumus sive per Nosmetipsos, sive per Vicarium nostrum Generalem, sive Forancum in Dioecesi; Proindeque tam in Civitate, quam in Dioecesi aliquibus diebus antea Nos certiorentur de Congregatione facienda, et de rebus in ea tractandis, vel Vicarium Forancum per Dioecesim, quando ali-

(1) *Baruch. 4.*

quid tractandum sit, ac suffragiis secretis definiendum favore alicujus Confratris, aut parentum usque ad secundum consanguinitatis gradum inclusive, similiter et affinitatis, illi non permittatur suum praebere suffragium sub poena nullitatis; Omnes Congregationes describantur a Secretario in Libro ad hoc destinato.

VIII. Bona Confraternitatum fideliter administrentur; Redditus earumdem, quod etiam intelligi debet de singulis aliis locis piis, non infructuose expendantur, nec in alios usus, quam destinatus, Legata pia, et alias benefactorum voluntates exacte adimplere mandamus; Et onera (1) universa in tabella conspicuo loco appensa describantur; Officialibus nulla sit facultas expendendi ex redditibus justa etiam de causa praeter summam scutorum trium, quod si necessitas majorem exigat summam, quod decem scutata ipsa non excedat, necesse est, ut Confratrum consensus accedat. Ultra decem vero nec Confratres disponant sine nostra expressa licentia in supplici libello signanda, alias Confratres, et Officiales solvant de proprio: Inventarium omnium mobilium, et immobilium unaquaeque Confraternitas habeat, cujus exactissima copia in nostra Cancelleria Generali praesentetur.

IX. Tabella Indulgentiarum sodalitati concessarum in Sacristia omnium oculis pateat, similiter etiam catalogus Confratrum, et si quae sint sororum, sed separatim a maribus in tertia Tabella. Nomina quoque, et cognomina singulorum in distincto libro referantur.

X. Ne error in rebus universis insurgat, et ne confusio comprehendatur, volumus, et mandamus in qualibet Confraternitate hos infrascriptos haberi libros, scilicet unum, in quo adnotentur determinationes omnes capitulariter factae cum die, mense, et anno per Secretarium Confraternitatis, prout desuper innuimus, quem semper penes se retineat (2). Alterum, in quo introitus, et exactiones pecuniariae adnotentur, et exitus, seu expensae quoque signentur. Tertium tandem omnia legata pia, et eorum onera, scilicet Missarum, et Anniversariorum, qui libri una cum inventario locentur apud Priorem, et officiales, et exacte custodiantur, atque Sacrae Visitationis tempore ad Nos referantur.

XI. Caveant, ne in Sacristia, Oratoriis, aut Aedibus sodalitatum prope Oratoria, nec propriis, nec Confraternitatis sumptibus quacumque intercedente causa, vel sub quovis praetextu commessationes habean-

(1) *Sacr. Cong. de Mandato Alexandri VII. 5. Decemb. 1663.*

(2) *Conc. Mediol. 4. Part. 3. Tit. Quae ad pia Loca pertin.*

tur (1); Id enim ut plurimum apud multos et admirationis, et scandali origo esse potest, cum ad pietatis opera, et charitatis officia Confratrum munia, eorumque spiritus duntaxat intendat. Propterea qui contravenerint mulcta scutorum decem Confraternitati applicandorum irremissibiliter punientur.

XII. Benedictiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum fieri permittimus in Oratoriis pro Confratribus, sicuti alias pias exercitationes, et festivitates celebrare; Vetamus tamen ibidem sacras Missarum functiones haberi feria quinta, sexta, et Sabatho Sancto sub poena suspensionis ipso facto a Celebrante incurrenda.

XIII. Aliquibus in locis a Confraternitatibus, aut a pia testatorum institutione dotes, seu subsidia dotalia pauperibus, et honestis puellis assignari solent pro statu conjugali facilius consequendo; ne ideo oriatur confusio, et acceptatio personarum, volumus, et statuimus inposterum, ut mens institutoris perfecte adimpleatur; Deinde eae tantum eligantur, quae Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae devote frequentaverint, nec minores in aetate annorum quindecim, nec triginta majores, quae per Parochi testimonium in forma vallida probentur, ac Nobis opportuno tempore in supplici libello petitiones ostendant. Quae omnes cum expressis conditionibus concurrentes in schedulis bene clausis ab unica urna, in qua inclusae fuerunt, sorte extrahantur illae, quibus subsidium dotale assignatur; Hoc autem aliquo die festo ex solemnioribus post ultimum Evangelium, et coram dignioribus astantibus de Clero, et universo populo spectante; Nomina Puellarum, super quas sors cecidit alta, et intelligibili voce distincte pronuncientur: Dotem, vel subsidium dotale tradi vetamus, nisi pridie celebrationem Matrimonii per verba de praesenti in faciem Ecclesiae; Secus facientes Parochos, aut officiales Confraternitatum, et testamentarios executores judicandos esse volumus traditam pecuniam solvisse de proprio.

CAPUT OCTAVUM

DE HOSPITALIBUS.

I. Etsi Hospitale hujus Civitatis a prima sui institutione numquam habuerit redditus sufficientes ad recipiendos infirmos, nec non illos usque ad convalescientium plene curandos; Per quod fuit semper appellatum, et adhuc vulgo dicitur = Ospedale di solo trasporto = Attamen a momento, quo ab uno ex nostris antecessoribus

(1) *Conc. Mediol. 1. Par. 3. Tit. De piorum Locorum adm.*

fuit clausum Seminarium ob ejus bonorum jacturam, nil laudabilius credidit Optimus,ac Misericors Praelatus, quam usumfructum bonorum omnium Seminarii huic Hospitali cedere, donec ei, vel successoribus ejus datum fuerit denuo ipsum Seminarium erigere. Hoc igitur in aevo nostro prosperum habuit exitum, sed ne faciem nostram (1) a charitate proximi avertamus, omnis ratio suadet, ut Seminarii simul, et Hospitalis curam misericordi, ac liberali animo suscipiamus; Unde statutis regulis pro Seminario, has nunc pro hospitali servandas decernimus.

II. Hospitalis custos caveat, ne quid ab ullo in ingressu, seu discessu petat, aut etiam ultro oblatum accipiat sub poena restitutionis dupli, aut etiam aliis arbitrio nostro, omnes ab eo suscipiantur, amanterque tractentur, ut hospitii leges patiuntur, aegrotantium domus nil sordidum oleat, aut foetidum, sed munda sint linteamina, cubilia, ac supellex.

III. Ab ipso morbi initio volumus, ut aegroti peccata sua confiteantur, aliisque (2) Sacramentis opportune reficiantur, et omnia tam ad victum, quam ad medicamen necessaria juxta medici praescriptum exacte illis impendantur, nec nisi ex illius judicio transferri possint ad Hospitale, quod dicitur = di ricevimento = Medicamina non obsignentur in libro Hospitalis praeter ea, quae ministrantur aegrotis, qui degunt in eo; Unde si in libro hospitalis apparuerit farmocopolam praebuisse medicamina cujuscumque generis, aut valoris cuilibet infirmo, qui in Hospitali non fuerit, nec receptus, nec ingredi petierit, ei non erunt ullimode solvenda.

IV. Ad avertenda pericula, et ad honestatis decorem, juvenes foeminas, licet hospitaliorum uxores in Hospitalibus immorari nolumus, nec viros foeminis, nec foeminas viris decumbentibus deservire; Dormitoria sint distincta, ita ut viri a mulieribus sint separati, licet conjuges.

V. In deficientia Capellani, qui morientibus debitam adsistentiam praebere possit, Parochus hanc adimpleat sive per se, sive per alium Sacerdotem ad audiendas Confessiones approbatum, ne pereat ex eis quisquam propter ejus oscitantiam sine Sacramentis, sine adsistentia.

VI. Si quis decesserit in Hospitali, et aliquid in re, aut aere ab eo relinquatur, refectis expensis, quod superest, vel supererit tradatur haeredibus, aut his deficientibus in pauperum, seu ipsis

(1) *Eccles. Cap.* 41.

(2) *Constit. S. Pii V. supra gregem.* 11. *Martii* 1566.

hospitalis usum judicio Episcopi erogetur (1), nisi forte ipse aliter testatus fuerit, quod facere non prohibetur; Quod si infirmus testamentum fecerit coram Capellano Hospitalis, eamdem vim habebit ac si coram Parocho fecisset (2).

VII. Per mortem infirmorum in hospitali eorum exequiae fiant de more; Deficiente ibidem sepulchrorum loco, aut Oratorio, in quo humari possint, ad Parochialem Ecclesiam deferantur cadavera, intra cujus fines hospitale est positum, ibique sepeliantur. Saepissime in loco infirmorum devote preces recitentur, et praecipue Litaniae B. M. Virginis, quae est vera infirmorum salus, peccatorumque refugium. Ad hospitalis januam semper vas cum aqua benedicta positum sit, et desuper ab extrinseco aliqua Sacra immago vel Jesu Christi Crucifixi, vel B M. Virginis, vel Titularis, aut Patroni, coram quibus ut hospites vespere, et mane orent hortamur; Quod Religionis opus hospitalarii pro sua pietate satagant promovere.

VIII. Si aliquis Sacerdos, aut pauper, aut peregrinus aegrotus hospitale petat, majori qua par est reverentia, benignitate, et charitate recipiatur, et si fieri possit separatim collocetur. Nocte domus porta claudatur, nec mane reseretur, antequam inspectum fuerit, an omnia tum hospitalis, tum hospitum integra sint; Quod si aliquid defuerit, poenam damni hospitalarius luet; Unde eum rogamus, ut de rebus hospitalis maximam habeat curam, easque fideliter custodiat; et ex quo redditus hospitalis tenues sint, quibus inopum necessitatibus occurri non potest, ideo Cleri, et devotissimi gregis nostri subsidia enixe imploramus, non aliud cupientes, nisi, ut urgeat eos charitas Christi, ac pro suo modo, et facultate subsidiariam operam praestent, et aliquid conferant.

IX. Hospitalia gaudeant immunitate ad praescriptum decretorum Sacrae Congregationis (3), dummodo auctoritate Ordinarii sint erecta; confugientes propterea ad hospitale immunitatis officio fruantur, et inde extrahi, aut ibi molestari, aut vim sive directe, sive indirecte agere ad aliquid pignorandum, seu asportandum, seu alio quocumque modo non permittatur, nec actus quoscumque judiciales fieri ibi liceat, nisi de Apostolica auctoritate, et prius causa a Nobis cognita, et probata; Contraventores praeter majorem excomunicationem, quam ipso facto incurrent, etiam a Nobis graviter punientur.

X. Ad rectam denique hospitalis nostri administrationem quoad bona, ejusque redditus statuimus, ut factores, seu duputati a Nobis electi sedulo, et exacte observent ea omnia, quae desuper ob-

r

(1) *Honor. III. Constit. Has Leges.*
(2) *Card. de Luca disc.* 23. *N.* 20. *ad haec.*
(3) *Sacra Congr. Immunitatis Cap.*

servari mandamus pro Confraternitatum dispositionibus de bonis fidelium administrandis in §. septimo illius Capitis ; hoc adjuncto, quod in hospitali volumus, ut sit liber, in quo scribantur nomina, cognomina, et etiam patria infirmorum, et in eo decedentium, si sint exteri ; Ita quoque deputati frequenter invisent hospitale, ne quid deficiat infirmis, quos sciscitari curent, audiantque ab illis, num omnia erga eosdem exacte serventur, nec ne. De iis charitatis officiis nil retributionis in terris sperandum, cum Deus in Coelis sit retributio multa, et merces magna nimis (1).

CAPUT NONUM

DE LEGATIS PIIS.

I. Religionis argumentum, et Catholicae veritatis testimonium fidelium corda inflammare tendunt, eorumque voluntates excitare, ut adhuc in carne ipsi de futuro cogitantes sibi provideant per quaedam pia opera juxta horum mentem statuta, et quae post mortem adimplenda relinquunt. His igitur per Episcopos locorum est providendum, et secundum defuncti voluntatem universa procedent (2) ; Ideo nostrae conscientiae consulendum ducimus decedentium pias dispositiones adimpleri, cum id solatium sit morientibus, quod voluntas eorum statim post mortem plane executioni mandetur. Quapropter universis sub quolibet nomine, vel titulo comprehensis tam nostrae Civitatis, quam Dioecesis ad pias voluntates defunctorum detentis sub quolibet nomine, vel titulo comprehensis stricte praecipimus, atque mandamus, ut tale munus quam citissime adimpleant, suaeque obligationi satisfaciant. Nos quamvis in contrarium testatores disposuere, nostras tamen apponemus manus validas contra eos, qui ex culpa neglexerint, vel in longum protraxerint exequi, quod oportet defraudantes vivis subsidia, et defunctis suffragia, et saevere ipsos puniemus (3).

II. Cum institutio piorum Legatorum sit actus pietatis a fundamento Religionis emanans, et a voluntatis imperio procedens, prout quis in corde suo mature jam disposuerit non sine gratiae Coelestis impulsu, huic igitur institutioni adversari indignum est, et a pietate semotum. Nullus propterea tam directe, quam indirecte sive Clericus, sive Laicus testamentarias dispositiones, seu Legata ad favorem Ecclesiae, et piae causae ausu temerario impedire praesumat sub gravissimis poenis pro nostro arbitrio ultra divinae justitiae ultionem, quam meretur, et satisfactionem piae causae, ad quam tenetur. Nulli liceat irrationabiliter, et absque deliberatione testantis ultra debitum justitiae, et pietatis eum adstringere ad pia legata instituenda cum damno haeredum, et cum indignatione Domini, qui vult unicuique libere, et juste relinqui, quod ei debetur. Caveant proinde hoc agere praecipue Parochi, et Confessarii, qui salutem animarum conquaerunt, omni quoad hoc ratione perpensa, et causa, fineque mature discussis, rectum judicium adhibeant, et sanum consilium, si fuerint requisiti, respondeant.

(1) *Psalm.* 18. *Genesis Cap.* 15.
(2) *Cap. Tua nobis de Testamentis.*
(3) *Ibidem.*

III. Ubi specialis notae statutum ab Apostolica Auctoritate probatur, per quod juris civilis dispositio servari ordinetur ad valorem testamentorum a Parochis actorum, decernimus ea testamenta tanquam valida censeri, si coram tribus, vel duobus testibus sint exarata, et ut valida, et firma semper haberi, si ad normam formulae in Appendice extensae fuerint, quam ad Parochorum commoditatem posuimus (1). Si vero testamentariae dispositiones ad pias causas coram Parocho, et duobus testibus sint emissae, nullimode a sua validitate removeantur (2), sed firmae, et ratae remanebunt ; quamvis Parochis, et aegrotantium Confessariis fides sit adhibenda, nihilominus ad avertendas lites, et quaestiones ejiciendas Parochi, seu Confessarii, dum infirmorum dispositio ad horum aures pervenerit, Legata pia, vel quid aliud pias causas certe enuncians duos saltem adhibeant testes, ad quos infirmus dicat, atque declaret, se velle sicuti suo Parocho, aut Confessario declaravit, atque injunxit ; Habita enim hac declaratione, dispositio aegrotantis suum semper sortiatur effectum (3). Parochorum porro, aut Confessariorum erit infra terminum octo dierum pium testamentum, aut dispositionem, vel attestationem ab ipsis subscriptam, et a duobus testibus in nostra Cancelleria Generali exhibere, ne periculum eam perdendi evenire possit, aut pia dispositio protrahatur. Aliquando dari potest, quod infirmi morti proximi ob Notariorum, vel Parochorum, aut alterius Confessarii deficientiam, suas nequeant ad pias causas solidare voluntates de more, quamobrem coram adstantibus dumtaxat aliquid emittunt propter pium Legatum, sive ad pias causas ; Hanc determinationem quoque validam esse, quatenus jura permittunt declaramus (4).

(1) *Cap. Cum esses* = *Et Conc. Rom. Tit.* 20. *Cap.* 1.
(2) *Cap. Relatum de Testamentis.*
(3) *Conc. Romanum Tit.* 20. *Cap.* 1.
(4) *Cap. Judicante.*

IV. Non raro evenire solet, ut aliqui praeocupati die mortis decedant absque eo quod ullam condiderint piam dispositionem, et quamvis ad eorum bona capienda haeredes nullum quidem momentum praetereant, verendum tamen est, quod isti nihil, aut fere nihil de bonis defunctorum impendant in eorumdem suffragium. In similibus a Concilio Romano provisum fuit, approbando scilicet plurium locorum consuetudinem, ut pro defunctis ab intestato efficiantur per Episcopos testamenta, ut vocant = Animarum = (1) disponentes aliquid de bonis defuncti pro ipsius anima; Nos autem, qui in aliquo hujusmodi casu tam pium, tam laudabilem morem inducere optamus, omnes in Domino ad hunc usum amplectendum enixe precamur, ne decedentium memoria cum flebili sonitu pereat, causa communis est, communis quoque debet esse ratio.

V. Pro nostro pastorali munere, et pro defunctorum, et piorum Legatorum causa tuenda, ne Nobis quid imputetur ad culpam, si aliquid obliteretur, praecipimus, et mandamus, ut quicumque Notarii ad hunc effectum rogati intra duos menses a morte disponentis, et, si dispositio fiet inter vivos, a die rogitus teneantur ad nostram Cancelleriam Generalem, et ad eos, ad quos pertinet, deferre pia legata, et quascumque pias dispositiones sub poena excomunicationis, et mulctae scutorum decem, aliisque majoribus, si creverit contumacia.

VI. Quando in adimplemento legatorum piorum determinatum tempus praescribitur ab ipso instituente pro celebratione Missarum, videant, quibus incumbit obligatio, ne praetereant; Si vero nullum praescribatur tempus, sex mensium spatium assignamus a die obitus testatoris sub poena pro gravitate omissionis statuenda; Etenim non tam levis est culpa hujusce negligentiae, pro qua etiam fidelium animae conquerentes deprecantur super negligentes Dei judicium. Ad annum, et ultra adimplementum protractum ad Nos advocemus, et eo statim contra culpabiles poenam gravissimam infligemus pecuniariam malitiosae negligentiae aptatam.

VII. Haeredes nullum juris titulum sibi faciant ad ea Legata pia, quae adimpleri minime possunt, vel de jure, vel de facto, juxta mentem testatoris pro causa ab illo praescripta. Nam ea Legata non fiunt caduca, neque ad ipsos devolvuntur, sed illa eroganda sunt ad aliam causam a Nobis declarandam (2). Haeredes potius, aut executores testamentarij pro eorum conscientia tuta servanda ad Nos in similibus casibus accedentes referant, ut quantum in Domino

(1) *Concil. Romanum Capite* 2. *Tit.* 20. (2) *Cap. Tua nobis, ut supra.*

fieri poterit, ad alium pium usum ad mentem testatoris proximiorem, aut pro loci, et temporis circumstantia utiliorem piae intentionis permutatio statuatur.

VIII. Legata pia ad determinatum usum relicta, eique expresse assignata nemini liceat ad alium usum permutare sub quolibet praetextu, titulo, aut colore, quamvis realiter ad meliorem permutatio videatur absque Apostolicae Sedis permissu, et diligenter cognita causa permutationis sub poena nullitatis, et aliis arbitrio nostro infligendis.

X. Quicumque haeres, aut executor testamentorum, qui defunctorum pias dispositiones malitiose occultaverit, ultra divinam vindictam, poenam incurret scutorum decem a Nobis pro defunctis applicandorum. Parochi propterea, et piorum locorum administratores, si quid de Legatis piis ipsis innotuerit, sive in scriptis, sive in verbis ad Nos referant, ne propter negligentiam de impietate illorum, qui occultant, participes sint. Tandem Parochi ipsi saepissime infra annum inter Missarum Parochialium Solemnia obligationem gregi suo exponant adimplendi pia onera legataria, eapariter revelandi, ne expectationes defunctorum defraudentur.

CAPUT DECIMUM

DE BENEFICIIS.

I. Ut Deus Optimus Maximus in Ecclesia Sanctorum glorificetur tota die, et pie, devoteque nomen Sanctum ejus quodam speciali modo laudetur a filiis hominum, quod perinde nullum praetereat momentum, in quo scilicet etiam private admirabile non reddatur idem nomen suum in universa terra (1), quaedam pia fidelium devotio Ecclesiastica instituit Beneficia; Verumtamen, cum de aliquibus nuper in Constitutionum hujus Synodi Capitulis, dum de Canonicis, et Parochis sermo fuit, hic pauca addere de iisdem Beneficiis, et de eis obtinentibus est Nobis visum.

II. Quod cum Beneficium objective, et rationabiliter eo statim quod Ecclesiasticum institutum est pro officio, dubio procul, et pro Ecclesiae bono conferri debet, indigni propterea illi jure pretio reputantur, quibus nullo habito respectu ad Ecclesiasticorum vivendi formam, et ad officium, lucri cupiditas est dumtaxat indicta (2). Quantum igitur Nobis erit in Beneficiis, aut conferendis, aut in commendatitiis ad ea capienda porrigendis, illos prae oculis designabimus absolute dignos, qui non scientia simpliciter

(1) *Psalm.* 8. (2) *Conc. Constantiens. Sess.* 43.

X. Beneficiati etiam simplicissimo Ecclesiastico Beneficio gaudentes intra duos menses a die, qua possessionem sunt adepti professionem fidei ad Pii IV. praescriptam formam (1) coram Nobis, aut Vicario nostro Generali emittere tenentur, nec non consuetum praestare juramentum. Pariter infra praedictum tempus omnium bonorum, proventuumque inventarium fideliter conficiant, et penes se relicta copia ad nostram Generalem Cancelleriam mittere satagant.

CAPUT UNDECIMUM

DE BONIS ECCLESIAE CONSERVANDIS, ET NON ALIENANDIS.

I. Quoniam bona Ecclesiae, quae sunt Christi Patrimonium, Episcopi est tueri, et ab invasoribus vindicare, ideo canonicas sanctiones contra ipsos proferimus, ac declaramus, nostrasque etiam proloci, ac temporis opportunitate leges adjicimus.

II. Res igitur, et quaecumque bona pretiosa, vel mobilia, vel immobilia a pia fidelium elargitione in favorem Ecclesiae, aut piorum Locorum praesignata, ut Christiana Religio splendeat illustrior, et exercitatione charitas augeatur, nedum perpetuo esse servanda mandamus, verum etiam alienari, hypothecari, vendi, dono dari, permutari, obligari, seu alio quovis modo distrahi ab extravaganti = ambitiosae = Pauli II. de rebus Ecclesiae (2) non alienandis sub poena anathematis contra transgressores prohibentur. Et cum inter bona Ecclesiae potiorem partem obtineant etiam instrumenta, scripturae, et alia monumenta contractuum, rationum, jurium tam spiritualium, quam temporalium, quibus contra bona ipsa usurpantes defenduntur; Idcirco ea omnia etiam in minima eorum parte servare mandamus; Unde si quis illa occultare, lacerare, supprimere, comburere, alterare, aut malitiose retinere praesumpserit, vel scripturarum hujusmodi notitiam habens, et post hujus decreti publicationem infra duos menses non revelaverit, excomunicationis poenam ipso facto absolute incurret, omnes proinde scripturae Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum sub sera, et clavi in Archivio accurate asserventur, et quatenus aliqua Ecclesia seu pius locus careat archivio, armarium in Sacristia pro his servandis constitui praecipimus; In nostro archivio autem generali singulae consignentur scripturae, quae a Concilio Romano in sua Appendice numerata serie sunt praescriptae (3). Sciant

(1) *Pii IV. Constit. 89. Injunctum Nobis.*

(2) *Cap. nulli liceat de rebus Eccl.*

(3) *Conc. Rom. Tit. 12. Cap. 5.*

vero universi, quod si ex quovis motivo, vel praetextu, etiam in Dignitate constitutus ex nostro dicto Archivio, et a nostra Cancelleria aliquis scripturas expressas involaverit, laceraverit, seu alteraverit, sive in toto, sive in parte, aut processus subripuerit, absconderit, vel deturpaverit, necnon auxilium, favorem, aut manum dederit, ipso jure quacumque fulgeat dignitate, officio, aut beneficio privatus extiterit, et ad futura obtinenda inhabilis (1).

III. Ingravescente lapsitudine nonullorum bona Ecclesiae, vel piorum locorum possidentium, aut administrantium, cum ipsi valde sint solliciti fructus ex eis reportare quotannis, et absolute obliterare, quod illis incumbit onus, et interim ea de die in diem deteriorare, et fere destrui patiantur; Nos huic discrimini providere cupientes mandamus, statuimus, et sancimus domos, et aedificia quaecumque ad Ecclesias, et alia pia loca pertinentia ab illis, ad quos spectat, quatenus opus sit, refici, atque conservari, alias Nos ipsi, quid necesse foret exequi curabimus expensis negligentium, adiecta poena pecuniaria contra eosdem pro Nostro arbitrio ipsis piis locis impertienda; In parte autem, vel in toto, eadem aedificia destrui vetamus, etiam sub praetextu meliorandi sine Nostra licentia in scriptis.

IV. Bona ruralia vero, et agri apud Laicorum bona, quae cum illis sint confinia, integre serventur, nec sub quovis titulo, aut colore bonorum Ecclesiasticorum possessores, vel quorumcumque piorum locorum administratores illis aliquam servitutem imponi, seu intra eorum fines spatiari permittant; Quapropter ad contentiones de medio tollendas, et ad unicuique jus servandum mandamus apponi terminos cum interventu illorum, qui interesse debent, et quatenus private non assentiri intelligant, procedatur prout de jure.

V. Nemini liceat ea, quae Ecclesiis, et piis Locis sunt destinata, sive mobilia, sive immobilia vendere, alienare, donare, permutare, aut quomodolibet obligare, vel sua denuo sibi facere sub quolibet titulo, aut praetextu, nec ad emphyteusim concedere, seu quacumque clausula ab alienatione remotissima expressa distrahere sub poena excomunicationis ipso facto incurrenda, et aliis poenis a jure statutis contra bona Ecclesiae alienantes (2). Rebus tamen servatis quoad statum permanentiae favore Ecclesiarum, et Locorum piorum, possessores, et administratores quid utilius perquirere possunt nullo vero pacto praesignato sine debita approbatione.

(1) *Conc. Rom. Tit. 12. Cap. 5.*

(2) *Clem. et Extravag. loco cit.*

praediti, aut aetate provecti, neque in vim resignationis petentes, sed qui scientia simul, prudentia, et pietate in Ecclesia id vivendo tenent, quod fide perceperunt, adeoque tamquam flos agri apud omnes sint bonus odor effecti, quippe qui officiorum munus expleri possit ab eis pro Beneficii Ecclesiastici qualitate, et institutione. Etenim hoc sane provide a Patribus Tridentini statuitur = Beneficia Ecclesiastica personis dignis, et habilibus conferantur (1). Hoc a Clemente V. inculcatur his verbis = Vitae laudabilis, quibus Beneficia Ecclesiastica conferri debent, et conversationis honestae sint (2).

III. Nullus insuper ad Ecclesiasticum Beneficium impetrandum per interpositas seculares porsonas ausu temerario praesumat accedere. Hoc dumtaxat illud obtinendi facit indignum; Qui ita se gerit, nescit, quid petat, eo quod non a se ipso postulat, aut perindebite quaerit eo pacto scilicet, quod replicatis, multiplicatisque commendatitiis, et petitionibus, ab Episcopo Beneficium extorquere praesumat (3). Veri intercessores ad illud obtinendum aeque sunt studium scientiarum, et virtutum opus, quae apte emittunt per se vocem, quamvis sileant, quibus Nos permoti nedum petentibus libentissime concedemus, sed hos excitabimus, ut optantes accipiant.

IV. Clerici Beneficium Ecclesiasticum possidentes in habitu laicali incedere vetantur, et sine Clericali tonsura. Ipsis nullatenus Beneficio gaudere permittimus, cum spoliati ipso jure de eo judicantur, nec fructus beneficiales suos facere queant (4). Nec proinde a Nobis aliquam sententiam declaratoriam antea proferendam esse intelligant. Ipsis inposterum decretum hoc providere sufficiat. Insuper decernimus, omnes fructus Beneficii ab hujusmodi possesi ad Ecclesiae fabricam subinde restitui, in qua Beneficium ipsum est erectum.

V. Quamvis simplex Beneficium ad strictum Ecclesiae praesignatae servitium beneficiatum non impellat, aequm tamen est, quod saltem solemnioribus diebus eo conveniat, suaque in Dei cultum, et populi aedificationem impendat opera. Quotidiè vero per divini Officii devotam recitationem, licet sit in minoribus Ordinibus constitutus, satisfacere curet oneri suo, gratam exhibeat Deo servitutem, sicut decet, ne despecta potius, quam laudata divina Majestas super eum

(1) *Conc. Trid. Sess. 7. Cap. 3. de Reform.*

(2) *Clem. V. Cum de Conces. Praeb. Lib. 3. Tit. 3.*

(3) *Acta Concil. Mediol. sub Sancto Carolo.*

(4) *Sixti V. Constit. Cum Sacrosancta = Bened. XIII. Constit. Cathol. Eccl.*

ad vindictam provocetur, atque si neglexerit, vel in totum, vel in partem adimpleri tale munus sciat ad restitutionem fructuum correspondentium omissionibus teneri sub gravi culpa.

VI. Qui de aliquo munere sive linguae, sive indebiti officii, seu pecuniae, et cujuscumque rei pretio aestimabilis convenerit in Beneficiorum nominatione, praesentatione, aut electione in poenas contra simoniacos latas incidat; Et quicumque hac perversa via ad Beneficium fuerit electus, fructus non faciat suos.

VII. Examinatores munus suum mundis manibus, et pura conscientia exerceant, hominum personam non respiciant, neque concurrentem aliquem ad ea informent, de quibus interrogabunt, vel in examine voce quidquam, aut nutu suggerant, sed examinandorum doctrinam, pietatem, aliasque animi, et corporis dotes perpendant, ut pro Ecclesiastici officii qualitate idoneos judicent; Non sint pauciores quam tres, et quaestiones, quas ipsi examinatores proponere intendunt, scribantur a Cancellario in ipso actu examinationis, et finito examine, secretis suffragiis non solum nominent eum, aut eos, quos dignos judicaverint quoad scientiam, sed etiam quoad mores, prudentiam, aetatem, et reliqua, relicta tamen electione magis idonei judicio Episcopi, cum quo examinatores casus proponendos prius conferre debent.

VIII. Beneficiorum nomina habentes indignum ne eligant omnino ad Beneficium possidendum, alias rejiciemus; non in personarum acceptationem intendant, sed cum gloria Dei utilitatem quaerant Ecclesiarum, pro quibus dumtaxat Ecclesiastica beneficia sunt instituta; Inter concurrentes digniorem aeque caeteris praemittant, ac prae oculis habeant horum doctrinam, et bonos vitae mores; Conditiones universae ab Institutoribus beneficiorum in electione omnino serventur, ne electio, et praesentatio personae ad Beneficium irrita sit, et nulla.

IX. Quodcumque Beneficium quisque possidens, licet nullo gravatum onere, in signum tamen subjectionis consuetum quotannis Cathedraticum solvat; Nil enim hoc justius, quod scilicet ab Ecclesia stipendia recipiens Ecclesiae Moderatori, ejusque Cathedrae aliquid tribuat (1). Qui taxatam propterea summam solvere nequiverit, ad solvendum compelletur juxta privilegium; Caveant, qui unum Ecclesiasticum Beneficium possident, quod ad vitae substentationem sufficiat, ne aliud retineant, nisi de necessitate, et pro Ecclesiae utilitate id eis concedatur.

(2) *Bened. XIV. De Synodo Dioec. Lib. 5. Cap. 7.*

VI. Ultra triennium nullae sint locationes bonorum Ecclesiae, et Locorum piorum (1) sine speciali facultate Sedis Apostolicae. In locatione novalium, et sylvarum caeduarum prohibemus anticipatam solutionem in Successorum praejudicium sine Nostra, vel Vicarii Generalis licentia (2); ad suspicionem quamcumque eliminandam, quod scilicet vere, et evidenter Ecclesiae, piorumque locorum utilitas non sit, bona eorumdem concedere, et locare consanguineis intra tertium gradum omnino vetamus sub poena nullitatis, et aliis arbitrio nostro contra locantes infligendis (3). Emphyteusim ultra tres generationes masculinas prohibemus, nisi justis de causis, et cum evidentissima Ecclesiae utilitate etiam imposterum duratura, quae a Nobis perquirenda sit, aliter videatur.

VII. Cum nullum permittatur confici instrumentum emptionis, locationis, permutationis, aut venditionis in bonis Ecclesiae, aliorumque locorum piorum cujuscumque rei sine his duobus concurrentibus, nempe valore, et annuo fructu, quae utilitatem, vel necessitatem Ecclesiae demonstrare debeat, monemus ideo peritos, et testes, qui in hujusmodi rebus a Notariis, et a nostrae Curiae Cancellariis adhibentur, rectum judicium facere, ac veritatem deponere tam super valore, quam super annuo fructatu bonorum, quae peritiantur, quod si fraudolenter falsum testificent, aut veritatem taceant, poena falsi puniendi erunt, et ad omnia, et singula damna inde secuta erunt compellendi.

VIII. Emphyteutis ad certum tempus, aut ad tertiam generationem firmata minime eam possidentem ad melioramenta idoneum facit alienandi, neque ullum habet jus eam vendendi ullus possessor sine novo Beneplacito Apostolico, alias excomunicationem contra alienantes bona Ecclesiae incurreret; Hoc est permissum, quando emphyteuta est perpetuus possessor in vim Indulti Apostolici, eo quod bona Ecclesiastica sibi locata transitoria etiam ad haeredes declarantur; Verumtamen Ecclesia semper in alienatione melioramentorum, et jurium emphyteutae competentium primitus requiraratur (4).

IX. Mandamus, et statuimus nemorum Ecclesiarum, et aliorum piorum locorum arbores asservari, nec eas caedi quantumvis infrugiferas sine speciali licentia, quae in casu ea conditione, ut valor earumdem arborum favore Ecclesiae in bonis stabilibus, vel ratis censi-

(1) *Const. Paul. II. et Urban. VIII.*
(2) *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 11. de Reform.*
(3) *Conc. Mediol I. II. Tit. 3. Decret. 5.*
(4) *Cap. potuit de Locatione, et Conductione.*

bus rinvestiantur; Quando autem pro necessitate, et utilitate Ecclesiae extirpationes, et diminutiones arborum fieri debent, volumus, ut possessores, seu administratores peritorum aestimationem, et recognitionem reportent, facta prius a Nobis facultate, quae ad utilitatem Ecclesiae, seu loci pii, cui interest erogandi pretium, dumtaxat concedatur.

X. In contractibus censuariis, quando pecunia Ecclesiarum cum onere restituendi prout de jure permisso restituatur, eam qui retinent brevi manu non restituant, nec Dignitates, Canonici, Parochi, Beneficiati, aut Administratores recipere valeant, sed expressis in contractu conditionibus servatis ad restitutionem procedatur, et quatenus consignari oporteat pecuniam, haec penes depositarium locorum piorum, certioratis interessentibus, et Vicario nostro Generali in Civitate, et in aliis locis Vicario Foraneo collocetur; Ipsi teneantur sollicite reinvestitionem procurare in bonis stabilibus, aut in censibus exigibilibus, et tutis, servatis conditionibus a S. Pio V. in Bulla de creandis censibus expressis (1); Quod si aliquid praetermittatur, statim Nos nullum esse, et foeneratitium absolute declaramus; Si reinvestitio ultra mensem non reperiatur, Nos certiores faciant.

XI. Ne damnum Ecclesiae ullatenus possit per incuriam inferri, statuimus omnibus, ad quos attinet, ut dum repererint bona Ecclesiastica, quae personis secularibus in emphyteusim, aut alio modo concessa fuerint, esse derelicta, statim ad Nos referant, ne contra Sacrorum Canonum formam caducitatis poena remittatur. Qui hoc neglexerit poenam luet scutorum decem Ecclesiae, ad quam bona devoluta spectant irremisibiliter solvendorum, aliasque graviores, prout expediri videbitur in emendatione culpae (2).

XII. Pietas fidelium non raro suae devotionis affectum erga Ecclesias nonnullas, et pia loca demonstrare solet haereditates, piaque Legata instituendo favore earumdem Ecclesiarum, et Locorum piorum; Nullus proinde audeat illa renunciare, aut respuere, nisi de nostra permissione, qui perpensis conditionibus, quatenus intersint, onera, atque utilitatem satis coequantes nostrum judicium edere possimus, et in bono utili, atque Ecclesiae conveniente pro obtinendo beneplacito opportuno auxilium nostrum porrigemus. Erit igitur omnium Ecclesiarum Rectorum Capitularium, Officialium, aliorumque administratorum locorum piorum, antequam haereditatum, aut legatorum possessionem capiant ad favorem suarum Ecclesiarum, Capitulorum, aliorum piorum operum in Nostra ge-

(1) *Const. S. Pii V. Cum onus* 19. *Januarii* 1566; *et* 10. *Junii* 1570.
(2) *Conc. Mediol. I. Part. 2. Tit. Quae pertinet ad bonorum, et Jurium.*

nerali Cancelleria pias dispositiones referre. Deinde a Nobis intelligent, an admitti, aut renunciari debeant.

XIII. Administratores bonorum Ecclesiarum, uti apparent, Capitulorum Camerarii, Sacristae, Syndaci, Factores, et alii hujusmodi sine licentia Capitularium, aut Confratrum nullo pacto de pecunia, frumento, et similibus ad Capitula, Ecclesias, Sacristias, aut ad Confraternitates spectantibus arbitrari possint, alioquin mandamus absolute teneri de proprio (1).

XIV. Ad bona quoque Ecclesiarum mobilia tuenda ea sollicitudine, qua oportet, statuimus, et omnibus Capitulis, Dignitatibus, Parochis, Sacristis, et Rectoribus, nec non cujuscumque Ecclesiae, Oratorii, et Confraterniratum Officialibus prohibemus, Vasa sacra, sacrasque suppellectiles, aut profanas commodare, et ad alium locum transferre sine licentia Nostra, vel Vicarii Generalis in Civitate, et per Dioecesis loca Vicarii Foranei sub poena pro unaquaque vice scutorum trium incurrenda, et Ecclesiae, seu Oratorii, aut Confraternitatis, a qua res commodata delata fuit, utilitati applicandorum.

XV. Mandamus tandem, atque praecipimus sub poenis Sacrorum Canonum integre, et inviolabiliter sine dolo, et sine fraude servari, et solvi decimas, et alias obventiones juxta receptam, aut inveteratam consuetudinem hujus nostrae Civitatis, et Dioecesis Ecclesiasticis personis ad eorum congruam substentationem, quae jure divino naturali, et humano sancitae sunt. Parochos, aliosque quorum interest, hinc monitos esse volumus, ut quotannis libellum conficiant, in quo singulas personas, aut familias describant eam solventes, aut defraudantes ad Successorum notitiam, adeout post obitum istorum ab haeredibus successoribus ipsis liberculus tradatur, ne Ecclesiarum jura minuantur, aut pereant. Singulos proinde in Domino Jesu Christo hortamur, ut omnibus sua reddant, quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo, ne tinea, aut rubigo bona sua temporalia corrumpat in vita eorum, qui negligunt, defraudunt, aut abscondunt bona Ecclesiarum, et debita Ecclesiasticorum, et animam in aeternum flamma inestinguibilis devoret.

(1) *Ex Regul. Ratum* 9. *Et eadem Regul. Quod omnes.*

CAPUT DUODECIMUM

DE FORO ECCLESIASTICO.

I. Ad tuendum Dominicum gregem Episcopi sunt ordinati (1). Hos profecto Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (2). Per eos Ecclesia ipsa, cui plebs subjicitur, eo pacto Sacra exercet, atque curat, ne perinde temporalia negligat. Pro tanti muneris ergo exequendis mandatis Patres Tridentini Episcopis exhibuere normam (3), ut populum scilicet sibi creditum hortentur ad sancte, pieque vivendum, atque aberrantem deterreant, regantque imperio, necnon ad bonum potius redigere peccantes curent in omni patientia, et doctrina arguentes, et increpantes, quam uti disciplina in asperitate; Quod si correpti fuerint, emendationem ostenderint, et tunc gaudium erit Pastoribus, et coram omnibus super illis; si vero monita despexerint, et rectitudinem respicere noluerint, eorum saluberrimo castigationis exemplo caeteri a vitiis deterreantur. Nos igitur, quos Deus ipse sua tantum divina miseratione posuit hanc Aquipendiensem Ecclesiam regere, hujusmodi normam Nobis proponimus, quam volumus quoque, ut omnes, et singuli Curiae Nostrae officiales sequantur, et servent.

II. Pro Nobis in foro Vicarium Generalem Nostrum monemus, ut collitigantium cavillationes rejiciens, ea qua par est brevitate lites dirimat, et absolvat praemissa matura rei discussione, ac debitis terminis a jure statutis: Necesse est enim, ut unicuique jus suum tribuatur. Diebus non feriatis hora statuta audientiam teneat, acta, et decreta uniuscujusque diei in libro ad hoc consueto per Nostrae Curiae Cancellarium extensa, statim quod fuerint absoluta propria subscriptione confirmet, sit in causis Ecclesiasticorum, aliorumque locorum piorum intentus, ne falso ex adverso dictorum negotia, et rationes obnubilent praetendentes; sit Pater Orphanorum, et Judex Viduarum, adeo ut etiam hos dirigat, et instruat in judicio, atque adversus praepotentes, et versutos litigatores tueatur. Similiter miserabilium jura sane cognoscat, et quam citissime expediat (4) praesertim mercedum, et alimentorum causas, quae dilationem non patiuntur, inhaerens solum veritati, et

(1) *Hom. S. Ambros. Lib.* 2. *in Cap.* 2. *Lucae.*
(2) *Acta Apost. Cap.* 20.
(3) *Conc. Trid. Sess.* 13. *de Reform. Cap.* 1.
(4) *Conc. Mediol. IV. Cap. licet.*

sola facti veritate inspecta terminet, ac definiat (1); ab omnibus in foro debitam reverentiam, et moderationem observari curet, contumelias, detractiones, diffamationes, jurgia, contentiones, verba turpia, aut mendacia in litibus acriter reprehendat, et absolute prohibeat, et si forte aliquorum contumacia cognoscatur eis forum interdicat, et quatenus opus sit carceris poenam in reos infligat; Taxam Innocentianam hactenus laudabili usu confirmatam inviolabiliter servari curet, eaque in nostra Cancelleria affixa omnibus pateat.

III. Cancellarius, seu Actuarius nostrae Curiae Episcopalis antequam munus suum subeat, juret in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis se juste, ac fideliter officium suum exequuturum. Quando dies feriis non gaudent, in Cancelleria singulis diebus istis, sollicite, et assidue ab advenientibus reperiatur, atque praesto sit, ut omnia scripta, et opportune disposita maxime diebus juridicis Vicarius Generalis inveniat; Omnes benigne, et humane suscipiat, illos signanter, qui a Dioecesis locis fatigati itinere veniunt, acta, et scripturas rite disponat, ne pereant, servato loci, et temporis ordine. Libri in Cancelleria sint bene colligati, et singulis in foliis numerus habeatur, nec non a tergo charta pergamena cooperti indicationem exhibeant rerum, quas continent. Stricte prohibemus originalem scripturam cujuscumque sit generis, alicui dare, seu commodare sine Vicarii nostri Generalis permissu. Ad perpetuum testimonium servandum distinctos Codices in nostra Cancelleria exacte haberi volumus, ubi singula Cancellarius adnotet, scilicet nomina illorum, qui fidei professionem emiserunt in primo libro scribantur; In secundo notentur Ordinandi; In tertio beneficia collata, et litterae sive Apostolicae, sive ex nostra Cancelleria pro collatione eorumdem; In quarto causae matrimoniales apponantur; In quinto causae civiles reportentur; In sexto criminalia habeantur; In septimo vero concessiones omnes exarentur Indulgentiarum. Archivium caute custodiatur; Si quis autem temere audebit subripere, violare, occultare, lacerare, vel comburere libros, seu scripturas cujuscumque generis, aut processus ad nostram Cancelleriam Episcopalem spectantes, aut retinere, vel ad haec auxilium, favorem, seu consilium praebuerit, ipso facto excomunicationem incurret Apostolicae Sedi reservatam (2). Inventarium omnium scripturarum, quae in Archivio continentur, singulorumque processuum per omnes

(1) *Pauli V. Constit. Universi. Et S. Pii V. Constit. 25. Accepimus.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 12. Cap. 11. de Reform.*

annos a Cancellario confici volumus, idque in authentica forma, et sua manu obsignatum Nobis tradatur, quod penes Nostros diligentissime erit conservandum.

IV. Ad judicium, et rationem habendam in causis de damno dato, itemque ad dissensiones evitandas, quae inter Ecclesiasticum, et Laicale forum solent oriri, volumus, ut ad unguem Constitutio Benedicti XIV. observetur (1).

V. Contra personas Ecclesiasticas processus criminales conficiantur, tum quoad acta constituti reorum, tum quoad examina testium, semper cum adsistentia, et interventu Judicis Ecclesiastici, seu alterius personae, quae sit Clericus celebs, specialiter ad hunc effectum delegandae, sub poenis in Sacris Canonibus contentis, et nullitatis processuum, juxta Enciglicam Sacrae Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae de mandato Pii VII. editam (2). Rei quicumque in criminalibus cum juramento non interrogentur, nisi examinentur tanquam testes quoad alios, secus nulla sint, et irrita acta omnia, atque omni careant effectu contra reos ipsos.

